ESSANDRINA

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ALESSANDRINA
G
b
23
ROMA

F. HENRICI SEDVLI,
ex Ordine Minorum,

DIVA VIRGO MOSÆ-TRAIECTENSIS.

De Ciuitate Moſæ-Traiectenſi, & Diuæ Virginis Imagine. De ſacrarum imaginum antiquitate, vſu & fructu, ad ſenſum Eccleſiæ. De Supplicationibus ſiue Proceſſionibus Eccleſiaſticis, & nonnullis aliis ritibus priſcis ac nouis. Admiranda à Diuæ Virginis imaginibus ſuperioris ætatis. A Diuâ Traiectenſi miracula æui noſtri, ex fide ſcripta.



ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.
M. DC. IX.

Nobilibus & Clariſſimis

PRAETORIBVS, CONSVLIBVS, SENATVI

VRBIS MOSÆ-TRAIECTENSIS

F. Henricus Sedulius do & conſecro.

LIBRVM hunc meum, Ampliſſimi Viri, iure vobis offero: quia de veſtrâ Vrbe, pietate & miraculis agit DIVAE VIRGINIS, quę apud vos eſt in magnâ veneratione. Ciuitas veſtra meritò dilaudatur ab amœno ſitu, à vetuſtate, ab altis mœnibus, à conſpicuis templis, ab amplitudine, à rerum omnium copiâ, & rebus in bello fortiter geſtis: ſed ea fragilia ſunt, incerta & caduca. Vrbes vniuerſę vbi fuerint aliquando quæretur, & exitij vario genere tollentur. Quidquid longa

ſeries ſtruxit laboribus multis, vna dies diſſipat. Incrementa lentè videmus exire, in damnum feſtinari, nihil publicè ſtabile manere. Omnia humana, lanugo, vmbra, flos, aura, ludus, orbis quidam perpetuâ conuerſione omnia voluens; nunc ſtabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus, anni temporibus, diebus, noctibus, mœroribus, voluptatibus, morbis & variis calamitatibus, ſecundiſque rerum ſucceſſibus; deniq; finis omnium puluis. Atqui religio & pietas ad omnia vtilis, promiſſionem habet vitæ, quæ nunc eſt & futuræ: à quâ remotos oculos numquã Vrbs veſtra habuit; niſi quòd illi, orbis exitio nati, tãtiſper ciuitatem inſederint, dum impietatis ſuæ pœnas exſoluiſſent. Religione vnicâ & verâ imbuti, hactenus floretis, etiam poſt tot ſtrages atque ruinas. Pronior etenim Deus in ſuos cultores: & nihil eſt, quod ita

nequeat

nequeat occaſui ſubiacere, quàm vera Religio; quâ nihil hominibus deſiderabilius, nihil ſanctius haberi debet: vt quæ ſola certò ducit ad veri Numinis aram & immortalitatem; ſine quâ pecus eſt omnis homo. Et verò ſcimus pleroſque haberi citra pietatem beatos in ſpeciem: à quibus tamen ipſa beatitas pluſquam cęlum à terrâ diſiungitur. Deum neſciũt, & diuitiis affluunt: honoribus florent, pollent poteſtate. Sed quid? altiùs attolluntur, vt cadant altiùs. Quemadmodum victimæ ſaginantur ad ſupplicium, & hoſtię coronantur ad pœnam: ita miſeri hîc bona ſua recipiũt, tandem æternis ignibus addicendi. Itaque nemo beatus dici poteſt extra veritatem proiectus. & nuſquam poteſt eſſe vera felicitas, vbi non eſt vera pietas. Quapropter nulla ſpes immortalitatis atq; beatitudinis homini poteſt eſſe reliqua, niſi profligatis

cunctis erroribus, Deum agnoſcat, Deo ſeruiat, Deum colat vinculo pietatis obſtrictus, vnicâ verâ Religione. Hanc tuetur, hanc amplectitur, huic præſidet ipſe Deus: ex hac oritur nobis æterna ſalus; quæ detrectantibus erronibus, pecorũ ritu, non quà eundum eſt, ſed quà itur pergentibus, denegatur. O mortalium omnium infeliciſſimos! quorum hîc pars maior; fatendum eſt: ſed & peior, vti etiam eſt lata via ad interitum tritior, quæ maximè decipit. Errant porrò, errant; & aliis inſana multitudo fit auctor erroris, tradito per manus errore plurimos præcipitante. Ab hoc liberi vos, clariſſimi Viri, vt fortiter hactenus, cum bonorum laude, cum aliorum inuidiâ egiſtis; in arce Eccleſiæ pro Deo, pro fide, pro religione certantes, prompti paratique cum ſanguine profundere vitã; quam ſtationem accepiſtis viui, tenete mortui.

Exegit

Exegit à me pietas Vrbis veſtræ multiuaria, ſed principaliter ſingularis illa ſtata & ſolemnis poſtridie Dominicæ Reſurrectionis, in DIVAE VIRGINIS honorem admiranda Supplicatio; cui, an vſquam terrarum alia comparari queat, neſcio; tum etiam, multa variaque miracula, ab ipsâ Diuâ, & ad ipſam, plurimùm ipsâ Supplicationis die patrari viſa; hæc ipſa ſcribere, & prudentiæ veſtrę dedicare. Quidquid igitur, Viri nobiles, Viri prudentes, hoc operis eſt; ſi quo id animo vobis offero, benignè accipitis, gratiam retuliſtis. Antuerpiæ, ex noſtrâ cellulâ, v. Idus Martias, ∞.IↃC. IX.

BENIGNO LECTORI.

TRAIECTVM ad Moſam, Leodicenſis Antiſtitis, vnà etiam Brabantiæ Ducis, pietate, modeſtiâ, armis viriſque nobilem vrbem, cùm veniſſem pro ratione muneris: accepi multa ad Deiparæ Matris imaginem, quæ in cœnobio noſtro Fratrum Minorum eſt, facta miranda; & inter ea, necdum fuiſſe, qui ſtilo prouulgaret. Itaque lubens Dei gloriæ, & Diuæ Virginis honori id operis ſuſcepi: inquiſiui, collegi, ſcripſi; non dubioſa, ſed ea dumtaxat, quæ diligenter examinata in publicis conſeſſibus, teſtibus firmata ſunt & iurata. Omnia non licuit: quia & hîc quoque, quod Eccleſiæ lumen in re tali; *Miracula vbicumque fiunt, ibi ſciuntur vix à tota ipsâ ciuitate, vel quocumque commanentium loco: nam plerumque etiam ibi pauciſſimi ſciunt, ignorantibus ceteris, maximè ſi magna ſit ciuitas. & quando alibi aliiſque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, vt ſine difficultate vel dubitatione credantur,*

Auguſtin. lib. 22 de Ciu. Dei. c. 8.

dantur, quamuis Chriſtianis fidelibus à fidelibus indicentur.

Et verò nihil hîc de mendacio adſcriptum, ſed quæ certa ſunt commemoro. Inquirant, quibus ſua ſalus curæ & cordi eſt, credent. Sin autem: nihil mirum. *Solent oculis clauſis denegare, qui non credunt factum eſſe, quod nolunt.* Clauſos oculos habent, ne in his Veritatis lumen adſpiciant. *Apud prophanas mentes, nulla res præclara fidem inuenire poteſt.* Et cur non credunt? *Quia etiam ſub Moſe, quando etſi non talia, plurima tamen ſunt facta miracula; nihilominùs poſt illa omnia, poſt voces, poſt tubas, poſt tonitrua, poſt fulgura, & vitulum fabricauerunt, & Beëlphegor initiati ſunt. ita & hi ipſi qui aderant, cùm vidiſſent Lazarum reſuſcitatum, tam longè tamen à credendo ei, qui hoc ipſum operatus fuerat, refugerunt, vt ipſum quoque interficere ſæpè conati ſint. Quando enim anima ingrata fuerit ac praua, morboque inuidiæ oppreſſa, nullo omnino horum ſuperatur; vt è regione voluntas bona, vnà cum fide omnia ſuſcipit, nec admodum indiget ſignis iuuari.*

Hier. adu. Lucifer. c. 4.

Gre. Naz. Orat. in funere frat.

Io. Chryſ. Hom. 13. in Matth.

Ioã. 11. 47.

Dei Diuorumque hoſtes, Sanctorum negant miracula, perduelles Catholicæ Religionis: quæ cùm miraculis adſtruitur, hæc contemptum eunt; vt arma, quibus illi ſternuntur, nobis eripiant. *Nulli dubium, verba virtuti cedere*, prauas doctrinas prodigiis & miraculis. Faceſſat impia malignitas, & cęcitas imperita. Nam quid? *Soli Deo honor & gloria*, inquitis: non Sanctis, non icunculis iſtis. Audite; Soli Deo honorem damus, vt omnium bonorum fonti: ſed is quia in Sanctos deriuat, etiam illos adſpectu diuinitatis colimus; non vt deos, ſed vt qui Deum ſibi pietate conciliauerunt. Scimus quid ad Heli Sacerdotem ipſe Deus; *Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum*. Itaque *ego filij gloriam cum matre, non tam communem dico, quàm eamdem*. * *Nec eſt dubium, quidquid in laudibus matris proferimus, ad filium pertinere: & rurſum, cùm filium honoramus, à gloriâ matris non recedimus*. Deus in homine colitur, & homo in Dei religione honoratur; addo etiam, & adoratur. Portò ſolius Dei honor, quem

Amb. in 1. cap. ad Ro. *Non erubeſco Euãgelium.*
1. Tim. 1. 17.
1. Reg. 2. 31.
Arnold. Carnoten. De laudib. Mariæ.
*Ber. Ho 4 ſuper Miſſus eſt.

quem iſti prætendunt, Dei iniuria, & orbis interitus eſt.

De miraculis Diuæ Virginis magni viri haud pœnitenda ſcripſerunt: ſed etiam iſta inuenerunt ſacrilegium. Sed quemadmodum qui fontes obſtruunt, alibi fortiùs vident erumpere: ita aduerſus inuidos iſtos, veritatis antagoniſtæ violentiùs repugnant. Quos mihi ius ſit in hoc itinere ſequi, etſi non eodem gradu. Verùm cùm mihi, quæ veterum Catholicorum ſententia, & ſenſus de ſacrarum cultu imaginum, aduerſus Nouatores ſit apertè declarandus; & nonnulli ritus Eccleſiaſtici, in illâ noſtrâ celeberrimâ Supplicatione (quam infrà deſcribimus) hactenus in laudem Dei genitricis vſurpati, aſſerẽdi videantur: quod mihi ſolemne eſt, *lubenter, vbi mihi congruere video, verba Sanctorum aſſumo: quò vel ex vaſculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in his Lectori appoſuerim*. Chriſti teſtimonio, *Vinum vetus melius eſt.* Cap. 21. Ber. Ser. 3. ſuper Miſſus eſt. Luc. 5. 39.

Ceterùm ego, cum illuſtri Scriptore, *obſecro eos qui lecturi ſunt, vt fidem dictis adhi-* Sulpit. Seuer. de vitâ S. Martini.

adhibeant; neque me quidquam niſi compertum & probatum ſcripſiſſe arbitrentur: alioqui tacere, quàm falſa dicere, maluiſſem. Et licet maligni, nos quoque cum Diuâ Virgine quàm maximè oderint;
Indid. tamen *illud facilè confido, omnibus ſanctis opuſculum iſtud gratum fore. De cetero, ſi quis infideliter legerit, ipſe peccabit. Ego mihi conſcius ſum, me rerum fide, & amore Chriſti impulſum, vt hæc ſcriberem, manifeſta expoſuiſſe, vera dixiſſe: paratumque, vt ſpero, habebit à Deo præmium, non quicumque legerit, ſed quicumque crediderit.*

PHY-

PHYSIOGNOMIA D. VIRGINIS MARIÆ.

MORES, formæ & ſtaturæ eius modus talis (vt inquit Epiphanius) fuit. Erat in rebus omnibus honeſta & grauis, pauca admodum eaque neceſſaria loquens, ad audiendum facilis, & perquàm affabilis, honorem ſuum & venerationem omnibus exhibens. Staturâ mediocri: quamuis ſint, qui eam aliquantulum mediocrem longitudinem exceſſiſſe dicant. Decenti dicendi libertate aduerſus homines omnes vſa eſt, ſine riſu, ſine perturbatione, & ſine iracundiâ maximè. Colore fuit frumentum referente, capillo flauo, oculis acribus, ſubflauas & tamquam oleæ colore pupillas in eis habens. Supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra. Naſus longior, labia florida, & ſuauitate verborum plena. Facies non rotunda & acuta, ſed aliquanto longior; manus ſimul & digiti longiores. Erat denique faſtus omnis expers, ſimplex, minimeque vultum fingens, nihil mollitiei ſecum trahens, ſed humilitatem præcellentem colens. Veſtimentis, quæ ipſa geſtauit, coloris natiui contenta fuit; id quod etiamnum ſanctum capitis eius velamen oſtendit. &c.

Niceph. Calliſt. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 23.

IN

In Divæ Virginis Mosæ-Traiectensis Miranda à R. P. Henrico Sedulio deſcripta.

Insignes pietate viros, virtutibus, arte,
Ingenio, meritis, doctrinâ, viribus, armis,
Moris erat quondam ſtatuis ornare dicatis;
Viuat vt æternum per poſtera ſæcula nomen.
Olim ſic fertur magnum decoraſſe Platonem
Rex Ponti: meritis ſic Scæuola, Clœlia, clari
In patriam, dicto pariter celebrantur honore;
Effigiemq́ue ſui Demoſthenis Attica tellus
Exhibet, ingenti fabricatum mole coloſſum.
En tibi, Virgo parens, vaſti per climata mundi
Chriſticolæ ſtatuas gratanti pectore paſſim
Conſtituunt, titulos, altaria, templa, domoſq́ue:
Quòd genus humanum tantis ſit honoribus auctum,
Ereptumq́ue malis per te, veneranda ſupremi
Sponſa Dei, Regina poli, genitrixq́ue Tonantis!
O quam te memorem Virgo! Quis carmine claudat
Tot benefacta tuo merito mortalibus ægris
Præſtita, continuis tot iam labentibus annis?
Traiectum vel certè vnum teſtatur abundè,
Pluribus auxilium miſeris ibi Virgo beata
Vt præſtet, ſacram Franciſco adeuntibus ædem.
Sedulus iſta ſtylo dulci Sedulius, ecce,
Deſcribit: placido tu, Diua, hæc ſuſpice vultu.
Perlege Lector ouans: nam pòſt legiſſe iuuabit.

F. Gulielmus Spoelbergius ex Ordine Minorum, Guardianus Mechlinienſis, canebat.

PAV-

VNIVERSIS Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cæleſtibus Eccleſię theſauris piâ charitate intenti: Omnibus vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, qui Eccleſiam Fratrum Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſeruantiâ, Ciuitatis Traiectenſis, Leodienſis Diœceſis, in ſecundo feſto Paſchatis Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti à primis veſperis vſque ad occaſum Solis Feſti huiuſmodi, ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces

effuderint; Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: præſentibus ad ſeptennium tantùm valituris. Volumus autem, vt ſi aliàs Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus aliquam aliam indulgentiam perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duraturam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die XXIII. Iulij, M. DC. VII. Pontificatus noſtri Anno tertio.

Scipio Cobellutius.

F. HEN-

F. HENRICI SEDVLI, ex Ordine Minorum,

DIVA VIRGO MOSÆ-TRAIECTENSIS.

CAPVT I.

Affectus noſter aduerſus Deiparam Virginem, cum illius inuocatione verbis ſanctorum Patrum.

MIRACVLA ſcripturus Diuæ Traiectenſis, cùm à Numine, priſco pioque ritu, principia capienda ſint, *inhabitatorem* Hieron.
eius inuoco Spiritum ſanctum: Hilarion.
vt, qui illi virtutes largitus eſt, mihi ad narrandas eas ſermonem tribuat, vt facta dictis exæquentur. Verùm id quis poterit pro eius dignitate? *quippe quæ tanta ſit, vt vniuerſa quæ* Baſil. Epiſ. Seleuc. ſer. de Annuntiat. B. Mariæ.
mundi ambitu continentur, cum illius dignitate comparari non valeant. Si enim Apoſtolus Paullus de aliis Sanctis verè aſſerit; Quibus dignus non erat mundus: quid de Deiparente Heb. 11. 38
Virgine cogitare nos par eſt, quæ vniuerſos ſuo

ſplendore tantum excedit, quantum Sol reliqua aſtra? Sed licet metus deterreat, tamen quia animus adhortatur: certi, munera non manu æſtimari ſed mente; tum etiam, quid ſcribere fas ſit, non quemadmodum, in primis diſpiciendum eſſe; cùm facere ſcribenda nequeamus, conabimur legenda ſcribere.

2. Te igitur Diua Virgo ſecundùm Deum adeuntes, quâ fas eſt adoratione & precibus, flexis genibus cordis & corporis ſupplicamus; adeſto patrona tuis operibus: adeſto clientuli tui ſcriptioni. *Gratiâ plena es, Dominus tecum eſt:* non modò tibi, ſed & omnibus nobis. Non poteſt ſiccari fluuius, qui ſemper impletur: imple mentem, moue manum, vt etiam noſter ſit *calamus ſcribæ velociter ſcribentis*. Te imploramus, per quam ſpes vnica ſalutis ad nos profluxit. *Inuiolata, integra, planeq́; pura ac caſta Virgo, Dei genitrix Maria! Regina omnium, ſpes deſperantium, Domina noſtra glorioſiſſima, optima atque præcellentiſſima! ſublimior cælitibus, candidior Solis radiis atque fulgoribus; honoratior Cherubim, & multis oculis claris ſpiritibus perſpicacior; ſanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus ſupernis exercitibus glorioſior! Vnica ſpes Patrum, gloria Prophetarum, præconium Apoſtolorum, honor Martyrum, lætitia Sanctorum, & lumen probatiſſimorum, Abraham, Iſaac & Iacob! decus Aaron, ſplendor Moſis, & Gedeonis*

Luc. 1. 28.

Pſal. 44. 2.

Ephrem de laudib. B. Mariæ.

deonis vellus ; cœtus Hierarchurum omniumq; Sanctorum corona, ob immmenſum fulgorem atque ſplendorem inacceſſa! ..... ſub tuâ tutelâ & protectione toti ſumus. Da verbum cordi, quę mundo dediſti Verbum Deum. Da, quod pie inſtitui, feliciter exſequi; Deo in honorem & gloriam, tibi in debitum cultum & venerationem, cultoribus tuis in fructum.

3. *Tu mihi Diua faue, cælũ cui militat omne,* Bapt. Mãt. 1. Parth.
Quã trepidãt Erebi ſedes; cui terra fretumq;
Vota preceſq; ferunt: noſtro tu Sancta labori
Sis præſens: operiq; tuo largita futuro
Præſidium, noſtræ veniens illabere menti.
Tu licet à noſtro ſpatiis ingentibus orbe
Disiungare, ſuos quãtum Polus eleuat ignes:
Non tamen humanos caſus oblita, tuumq;
Nil pertæſa genus, vigili mortalia curâ
Suſcipis, & lacrymæ tangunt tua pectora noſtræ.
Tu placidum terris ſidus, quod liberat omnes
A pelagi feruore rates, quod luce benignâ
Saturni Martiſq; graues eliminat iras.
Tu nobis Elice, nobis Cynoſura; per altum
Te duce vela damus portus habitura ſecũdos.
Tu mare, tu vẽtos, tu ſidera cuncta, Deumq;
Concilias; tu tuta ſalus, tu pacis origo,
Tu commune bonũ, generis tu gloria noſtri.
Huc ades: & cœptos præſenti numine curſus
Dirige, & infirmam rege per vada cærula puppim.

Ioan. Damaſ. in Carminib. 4. *Inuituperabilem, Deipara, ſpem tuam habens ſeruabor: defenſionem tuam poſsidens; per quam, ô pura, non timebo. Perſequar inimicos meos, & in fugam vertam; ſolam habens vt thoracem, protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum. Et deprecor clamans tibi: Domina ſalua me interceſsionibus tuis; & eleua me è tenebroſo ſomno ad tuam glorificationem, potentiâ ex te incarnati Dei.*

G. Naziā. Tragœd. Chriſ. pat.

Veneranda ô Virgo! caſta, feliciſsima!
Quanta beata nunc Beatorum in polo,
Exuta quidquid fæcis humanæ, ſedes,
Aeternitatis pallio ornata, vt Dea
Habita, ſenectæ expers: ſupremo ex æthere
Benigna adeſto vocibus meis; preces
Admitte Virgo ô inclyta! hic quando tibi
Verbi parenti, ſed ſupra modum tamen
Legemq́; ſolus inter omnes contigit
Honor. Ego fretus his, tibi me audentiùs
In verba ſupplex offeram: & ſuauiſsimo
Contextam ab horto, quâ tuū exornem caput,
Coronam, ô Domina, proferam.....

CAPVT II.

Origines vrbis & pontis Traiectenſis.

1. SED operæ pretium fuerit, ante omnia, quà nota ſunt, vrbis initia, vbi magnâ pietate Diuæ Virginis imago colitur, prælibare.

bare. Verùm hæc exquiſitiſſimè perſcribere, non tam in promptu eſt, quàm incrementa videre. *Nulla non res principia ſua magno gradu tranſit*. Vt glandes minimæ ſunt partes, quas magna ferunt robora, cauſſæ quoque maximarum arborum: ſic immenſæ ciuitates paruis creuêre primordiis. Paullò altiùs nonnulla repetenda ſunt, lucem aliquam offuſis tenebris allatura. Fabuloſa, & quæ talia videri queant, prætereo, ea modò ſcripturus, quæ apud bonos memorantur auctores. Sen. 3. de Benef. c. 29.

2. *Gallia omnis eſt diuiſa in partes tres: quarum vnam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipſorum linguâ Celtæ, noſtrâ Galli appellantur..... Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni; ſpectant Septemtriones & orientem Solem*. Et verò comperimus *pleroſq; Belgas eſſe ortos à Germanis, Rhenum antiquitus tranſductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Gallóſque qui ea loca incolerent expuliſſe*. Neque incompertum eſt, irrupiſſe Germanos aduſque Neruios: *& ij quoque natio Germanica.* I. Cæſ. 1. Com. de bello Gall. Id. 2. Com. de bello Gall. Strabo 4. Geograph.

3. Porrò autem, *qui primùm Rhenum tranſgreßi Gallos expulerunt, nunc Tungri, nunc Germani vocati ſunt*. quod ſæculo Cæſaris, aut circa ea tempora ante ipſum, eueniſſe certum eſt; quando nonnihil res Tungrorum C. Tac. de moribus German.

augeri cœperunt: vt veriſimile ſit, cùm ad Tungrorum vrbem, ſiue per eam ad alios Belgicę tractus, Transrhenani quotidie proficiſcerentur; & Moſa, quem oportebat tranſmittere, vbi nunc Traiectum eſt, haud procul à Tungris, oportuniſſimum tranſportationi locum præberet; per flumen traiectum fuiſſe nauigiis: nam hodieque Germanorum cum variis mercibus frequentiſſima per vrbem Traiectum vltrò citroque commeatio eſt.

4. Nec abeſt à vero, locum hunc ab initio mox ædibus frequentem fuiſſe, facilè vt in vicum increuerit: quod ipſum opidulum, quod pons Traiecto coniungit, indicare videtur, etiam nunc *Vicus* appellatum. Beda in
III. Id. Maij. Martyrologio ſcribit D. Seruatium è Tungris, *ne ciuitatis atque Eccleſiæ ſuæ videret excidium, Domini reuelatione commonitum, tranſiiſſe ad vicum Traiectenſium, ibíque defunctum.* Apud barbaros & paganos *Via regia* dicebatur. Et Romanos hîc in bello frequentes, commodum ſuis copiis hunc tractum reperiſſe, credibile eſt, & ad tutelam traiectûs excitaſſe munitiones. Florus commemorat *Druſum per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim, per Rheni quidem ripam, quinquaginta ampliùs caſtella direxiſſe.* Vetuſta mœnia quiſquis ſpectauerit cis vltraque Moſam, quiſquis duxerit, arguunt certè opera perantiqua.

Matth. Herben. de Traiecto inſtaur.

Lib. 4. de geſtis. Roman. c. 12.

5. Scri-

5. Scribit Matthæus Herbenus, *primor-*
dium ciuitatis cõdendæ Iulium Cæſarem fuiſſe:
& cùm multis præliis Galliam Germaniámque
oppreſſiſſet, Traiectum conuenientiſſimum lo-
cum hiemandi copiis ſuis delegiſſe. Tradit etiam
Ioannes Goropius, *Romanos & pontis & opidi*
auctores fuiſſe, cùm huc caſtra ſua tranſtuliſ-
ſent. Nam Traiectum vrbis nomen à traiicien-
do flumine videtur factum. quamquam neſcio
vnde Ammianus Marcellinus acceperit Obtri-
cenſe Moſæ opidum, quo Traiectum ſuper Moſâ
ſitum intelligere videtur: niſi fortè id mutua-
tus ſit à Tungris, qui Traiectum in Tricht *mu-*
tarant. & quia Traiecti nomine duo opida vo-
cabantur, alterum inferius apud Batauos, alte-
rum ſuperius in Tungris; hoc Oppertricht, *id eſt,*
Superius Traiectum, & ſyncoptôs Optricht
vocarunt, è quo Obtricenſe opidum Marcellinus
fecit; illud Wterſtricht, *id eſt, Exterius Traie-*
ctum, & conciſè Wtricht *nominarunt*. Vulgò
iſtud, maximè *Germani ſuperiores* Maeſtricht,
id eſt, Moſæ Traiectum vocant, ad differen-
tiam Traiecti inferioris, quod tamen Vtricetum
meliùs appelles, vt nonnullis videtur.

Libro de Traiecto inſtaurato.

In Aduaticis.

Lib. 20.

Hub. Tho. Leod. com. de Tungris & Eburonibus.

6. Video pleroſque magni nominis Hi-
ſtoricos magnas offundere tenebras, cùm ſu-
perius Traiectum, quod ad Moſam eſt, cum
inferiori Traiecto, quod Vltraiectum dicitur,
confundant; errant nominis ſimilitudine
falſi: quia ſunt diuerſæ ciuitates in diuerſis

regionibus. Illud ſuperius ad Moſam eſt propè à Tungris: hoc inferius, vicinum Batauis, ad Rheni veteris alueum; quod primitus, cùm arx eſſet, *occupatum à VViltis, id eſt, Hollandis Auſtralibus, dictum eſt* Wiltenborch: *tempore autem Dagoberti Regis Franciæ ab exulibus Traiecti ſuperioris, dictum eſt* Wtricht, *id eſt, Ex Traiecto; & dicitur Traiectum inferius*. Hæc Amandus Zirickzæus, penes quem nominis huius fides eſto.

Amand. Zirickzæus Chron. ætat. 6. an. Chr. 696.

7. Pons Traiectenſis, auctore Matthæo Herbeno, *Strabonis ætate ab Auguſto vel Tiberio ſublicius ædificatus fuit*. Cornelius Tacitus ſcribit, Cl. Ciuili Batauo, aduerſus Romanos arma mouenti, plurium ſocietate, quos in partem ſuam pertraxerat, aucto, *Cl. Labeonem, quò minùs vltrà pergeret, Bethaſiorum, Tungrorúmque & Neruiorum tumultuariâ manu reſtitiſſe, fretum loco, quia pontem Moſæ fluminis anteceperat*. Equidem arbitrarer, hũc eſſe pontem Traiectenſem: niſi nonnulli putarent illũm, qui fuit olim apud opidulum, quod Viſetum vocant, vbi hodieque arcuum pontis exſtare videntur indicia. Certè Gregorius Turonenſis Epiſcopus, ante annos mille plùs minùs, cùm de S. Seruatio Tungrorum Epiſcopo ſcribit, pontis meminit Traiectenſis.

De Traiecto inſtaurato.

Lib. 4. Hiſtor.

Th. Hub. libro de Tungris & Eburon. Pet. Diuæus Anti. Belg. c. 15.

De gloriâ Conf. §. 72

8. Committere non debeo, quin adſcribam, pontem hunc eſſe iuris Venerabilis Eccleſiæ

cleſiæ S. Seruatij, ex donatione Cunradi Regis Romanorum II. Diplomatis regij, cuius mihi copiam fecere R. Domini Canonici, verba hæc ſunt: *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Cunradus diuinâ fauente clementiâ Romanorum Rex Secundus, omnibus in Chriſto piè viuentibus, tam futuris quàm præſentibus. Officium Principis eſt, qui pro ſalute omnium curam gerit, beneficiis exuberare in ſubditos; atque eos à prauorum hominum violentâ concuſſione protegere, regiminis in Domino conceſſi ratione ſeruatâ. Eapropter, eorum videlicet, qui B. Seruatio militant, neceſſitatibus iuxta Apoſtolum communicantes, pro amore Dei, & B. Seruatij, prædeceſſorumq́; noſtrorum animarum remedio, pro regni etiam noſtri quiete & ſtatu pacifico; ſimulq́; Gertrudis vxoris noſtræ piâ deuotione, nec non & Arnoldi Cancellarij noſtri, eiuſdem Eccleſiæ Præpoſiti, precum inſtantiâ permoti, Pontem qui ſupra Moſam ſitus eſt in ipſo Traiecto, quem noſtri iuris indubitanter eſſe conſtat, B. Seruatio donamus & concedimus cum omni vſu & vtilitate, quæ omnibus temporibus inde proueniet, liberè poſſidendum*, &c. .. *Actum publicè in Eccleſiâ B. Seruatij, per manum Arnoldi Cancellarij, vice Alberti Archicancellarij, Moguntinæ Sedis Archiepiſcopi, Anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo nono....* Ex Archiuis B. Seruatij.
Innocentius Papa Secundus donationem

In Archiuis S. Seruatij.

Regis, verbis iiſdem & cōditionibus præſcriptis, eodem anno, diplomate comprobauit.

9. Formidabile contigit exemplum in hoc ponte ſaltatoribus, cùm nullam exhiberent reuerentiam Chriſti corpori à Sacerdote ad

Alb. Krātz. 8. Metrop. c. 39. ad A. 1296. Hart. Scheydel. 6. ætate.

infirmum delato. *Iuuenes, puellæ, viri, feminæ choreas cùm ducerent in ponte frequentes, Venerabile Chriſti Sacramentum deferebatur, nec illi proſternebantur intenti vanitatibus: mox ponte deſidente, ducenti propè mortales perierunt.*

10. Fragilem fuiſſe ſemper hunc pontem ligneum, propter vim fluminis, atque glaciei hiberno tempore; atque ideò nonnumquam, qui tranſibant, qui plauſtra tranſportabant onuſta, fractis contignationibus ſubmerſos eſſe legimus. De multis vnum commemoro,

Diploma in Archiuis S Seruatij.

quod *accidit anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quinto, quarto Idus Iulij. Cùm viri venerabiles, Decanus & Capitulum Eccleſiæ B. Mariæ Traiectenſis, & domini eiuſdem Eccleſiæ Chorales, ibidem cauſſâ deuotionis, cum ſuis Reliquiis habitu religioſo pontem tranſirent more proceſſionis; pars dicti pontis, non longè poſt dictam proceſſionem, quaſi auulſa, cum hominibus in ipsâ receptis, horribilem fecit caſum: quoniam eâdem horâ per dicti pontis rupturam ſunt ſuffocati in fluuio ſupadicto quadringenti homines vtriuſque ſexus vel circiter, nulla factâ mentione eorum,*

qui

qui ex ipſo fluuio quaſi mortui extracti, poſteà miraculosè reuixerunt. Euenit etiam, proh dolor! cùm dictus pons, ob ſui defectum particularem tranſiri non poterat, quòd nauigia in ipſo tranſitu, motu quodam circumuolutionis aquæ miſcrabili & mirabili, ad inſtar venti turbinis inuoluta, ad fundum deſcenderent, tamquam plumbum in aquis vehementibus, cum hominum damnosâ numeroſitate. Quapropter Archiepiſcopi quatuor, Epiſcopi quindecim, diplomate ſingulorum ſigillis confirmato, *piâ moti conſideratione, prædictíſque periculis rerum, corporum & animarum obuiare cupientes, de omnipotentis Dei miſericordiâ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Paulli auctoritate confiſi, & eâ quam Dominus illis indulſit; omnibus verè pænitentibus & confeſſis, qui ad conſtruendum prædictum pontem, qui opere lapideo non modico eſt inceptus, manus porrexerint adiutrices, vt pons talis perfici valeat & conſummari; quilibet illorum, 40. dies de iniunctis ſibi pænitentiis miſericorditer in Domino relaxarunt. A. D.* M. CC. LXXXIIII. Vidi & exſcripſi.

Itaque pons iſte, quem nunc Moſa fert, *à Iulio Cæſare non eſt constructus, vt opinantur multi: ſed longo pòſt tempore*, ad annum ſalutis humanæ circiter octogeſimum primum, ſupra milleſimum ducenteſimum; ſumptibus Eccleſiæ B. Seruatij (veroſimile eſt) pontis iactis fundamentis. Matth. Herben. de Traiect. inſtaur.

11, Publi-

11. Publicam viam à ponte, quam M. Herbenus *Regiam* vocat, etiam nunc videre eſt: vulgus Kaſſij appellat. atque hanc ſilicatam fuiſſe, & lapidibus ſtratam, vetera teſtantur in pleriſque locis argumenta; ac etiam in interiorem ducere Galliam multorum opinio eſt: opinor fuiſſe militarem viam, quâ ducebantur exercitus. Nec de his plura: ad Vrbem redeo.

vbi ſuprà.

12. Traiectum ante annos plùs minùs nongentos exiguum fuiſſe opidum, ex Reginone colligitur: quia memorat à Northmannis omnia deuaſtantibus, *Leodium ciuitatem, Traiectum caſtrum, Tungrenſem vrbem incēdio cremata.* Legi in ſchedis R. D. Nicolai Oudarti Officialis Mechlinienſis, viri mihi amiciſſimi; quæ circum vetus opidum mœnia producta ſunt, Henrici Ducis Brabantiæ conſenſu exſtructa, An. D. 1220.

L. 2. Chronic. An. 881.

Itaque *Moſæ-Traiectum* vrbs vetus & magna: & ſi ſpectas ciuitatem ad vtramque ripam fluminis, maximis Belgicæ ciuitatibus comparanda. Frequēs ſacrarum Eccleſiarum amplitudine, copioſa ciuibus & mercaturâ, modeſtiâ & pietate celebris. A paruis initiis aucta, vt magna flumina ab exiguis fontibus. *Principia ſua ſemper magnitudo ſequēs obruit.* quod Deo acceptum ferendum eſt, & Chriſtianæ pietati: quæ quando apud Traiectenſes cœperit, iam nunc dicendum erit.

CA-

CAPVT III.

De ſancto Materno, & ſancto Seruatio, Tungrorum Epiſcopis.

1. CHRISTI Religionem vnicam & veram, quæ ciuitates per ſe illuſtres facit ſuo ſplendore clariores, primus omniũ Traiectenſibus prædicauit *ſanctus Maternus Epiſcopus diſcipulus B. Petri Apoſtoli, qui Tungrenſes, Colonienſes, & Treuirenſes, alióſque finitimos populos ad Chriſti fidem perduxit*; iure Apoſtolus inferioris Germaniæ vocandus. Traiectum veniſſe Maternum, atque ibi oratorium conſtruxiſſe, conſtans apud Traiectenſes traditio eſt. Martyrol. Rom. 14. Septent. Vſuard. ind.

2. Ceterùm D. Seruatio Traiectum plurimum debet, quòd *Pontificalem cathedram huc tranſtulit, in quâ viginti Epiſcopi reſederunt.* Ab Attilâ *excidium Galliis impendere Seruatius Tungrenſis longè antè in ſpiritu præuiderat, & Romæ à Petro Apoſtolo hoc iudicium Dei ineuitabile fore didicerat; ideóque relictâ Tungrenſi vrbe, quæ euertenda erat, ad Traiectum ſedem Epiſcopalem tranſpoſuit*. Vberiùs hæc perſcribit Gregorius Turonenſis, ad quem ſtudioſum Lectorem mitto. Catholicæ Fidei fuit propugnator acerrimus aduerſus Arianos. In Synodo Ariminenſi *conſtantiſsimus habebatur Fagadius & Seruatio* (ita vocat S. Seuerus) Matth. Herbemb. vbi ſuprà. Sigebertus Chron. An. 453. Lib. 2. hiſt. Franc. §. 5. Sulp. Seu. lib. 2. hiſt. ſac.

rus) *Tungrorum Epiſcopus*. A Magnentio ad Conſtantium Imperatorem miſſus, Alexandriæ ab Athanaſio fuit humaniſſimè acceptus; cuius gratiam & amicitiam meruit propter ardorem fidei, & eximiam ſanctitatem.

Athan. apolog. ad Conſtant.

3. Id tẽporis *Euphrata* erat Epiſcopus Colonienſis, ſtrenuus antagoniſta Arianorum in Synodo Sardicenſi; vnde à Patribus Antiochiam miſſus, honorificâ legatione functus eſt apud Imperatorem Conſtantium; nempe vt Catholicos Epiſcopos eius iuſſu exulantes, à Synodo abſolutos, ad ſedes proprias reuocaret: ſed bono initio quæ laude digna fuerant auſpicatus, exitu fœdo coinquinauit: rediens è Concilio Sardicenſi, hauſtum venenum adſpirans, *apud Tungros perfidioſus Euphrata impiÿ dogmatis Zizania ſanæ doctrinæ tritico ſuperſeminauit*. Porrò B. Seruatius huic lupo bonus paſtor occurrit: in Synodo Agrippinenſi aduerſus eum huiuſmodi ſententiam dixit; *Quid fecerit, quídve docuerit Euphrata pſeudoëpiſcopus, non opinione ſed veritate cognoui, pro finitimi loci coniunctâ ciuitate; cúique publicè & domeſticè obſtiti ſæpè, cùm ille Chriſtum Deum negaret, audiente Athanaſio Epiſcopo Alexandriæ, & Presbyteris, & Diaconibus plurimis: & idcircò cenſeo, Chriſtianis Epiſcopum eum eſſe non poſſe, quia Deum Chriſtum ſacrilegâ voce negauit; neque illum Chriſtianum*

Theod. 2. hiſt. Ecl. c. 9.

In vitâ S. Euergeſili, apud Sur. to. 5. Octob. 24.

An. Chriſti 348. to. 1. Concil.

ſtianum iudicandum, qui eiuſdem confinitimus fuerit inuentus. Nulla mora interponitur, Euphrata deiicitur, S. Seuerino in eius locum ſuffecto.

4. Manifeſtum fit ex his, quo tempore B Seruatius vixerit: ſed ad Vrbem quando ſe contulerit, Galliarum vaſtationem ab Hũnis ad Sepulchrũ S. Petri deprecaturus, non facile dictu eſt. Plerique putant eâ tempeſtate Romam iuiſſe,[a] *cùm eſſet rumor Hunnos in Galliam velle irrumpere*. Sed ſi calculos rectè ſubduxit,[b] qui ſcribit B. Seruatium annis propècentum obiiſſe ante Tungrorum deuaſtationem; verum comperiemus, quod Sigebertus tradit,[c] eum *excidium Galliarum longè in ſpiritu praeuidiſſe*, non Attilæ Hunnorum regis tempore exceſſiſſe.

[a] Gre. Turon. 2. hiſt. Franc. §. 5. Beda, Vſuardus, Ado.
[b] Baron. in Martyrol. 13. Maij.
[c] Chron. An. 453.

5. *Eius ortum & proſapiam, licet quidam ferant ex Domini Saluatoris cognatorum deſcendiſſe familiâ; quia tamen locum natiuitatis eius nequaquam accepimus, nec cauſſas eius aduentus aliunde vſpiam audiuimus: idcircò nec ſatis faciles eſſe poſſumus ad credendum; nec tantæ opinioni, quæ fortaſſis ex pietate ingeritur, arbitramur omnino derogandum. Sed cui non diſplicet poſt lapidationem Protomartyris Stephani, vltra trecentos fermè annos, inuentorem ſanctæ Crucis Vidam cognomento Quiriacum, eiuſdem Protomartyris ex Simone fratre fuiſſe nepotem: ipſi nihilominùs placeat,* vltra

Notgerus Ep. Chro. Epiſcopor. Leodic. cap. 10.

vltra quadringentos ferè poſt Natiuitatem vel Paſſionem Dominicam annos, B. Seruatium S. Dei Genitricis ex matris materterâ fuiſſe abnepotem. Verùm vtcumque ſeſe res habeat; nec illi nimiùm laborauerint ad ſuadendum, nec nos etiam nimij ſimus ad derogandum: cùm iuxta Tullium non debeat pudere nos fateri neſcire quod neſcimus; & illis conueniat potiùs ignorantiam verecundè fateri, quàm irreuerenter propietate mentiri.

Greg. Tur. de glor. Confeſ. §. 72.

Beda & Vſuardus in Martyrolog.

6. Sepultus refertur iuxta ipſum pontem aggeris publici. Circa cuius ſepulcrum quamuis nix defluxiſſet, numquam tamen marmor, quod ſuperpoſitum erat, humectabat. & cùm loca illa nimij frigoris gelu ligentur, & nix vſque in trium & quatuor pedum craſſitudinem terram operiat, tumulum vllatenus non attingit. Datur enim intelligi, verum Iſraëlitam hunc eſſe. Nam illis inter muros aquarum aquæ non erant perniciei, ſed ſaluti: ita & circa iuſti huius tumulum nix decidens, non humoris cauſſa eſt, ſed honoris. Videaſq; in circuitu montes niueos eleuari, nec tamen attingere terminum monumenti. Et non miramur, ſi terra operiatur niue: ſed admiramur, quòd attingere auſa non eſt locum beati ſepulcri. Nam plerumque deuotio ſtudiúmque fidelium oratorium conſtruebant de tabulis ligneis leuigatiſq;: ſed protinus aut rapiebantur à vento, aut ſponte ruebant. Et credo iſta facta eſſe, donec veniret

qui

qui dignam ædificaret fabricam in honorem Antiſtitis glorioſi. Procedente verò tempore, adueniens in hanc vrbem Monulphus Epiſcopus, templum magnum in eius honorem conſtruxit, compoſuit, ordinauitq́; in quod multo ſtudio & veneratione tranſlatum corpus, magnis virtutibus pollet.

7. Salutem vrbis Traiectenſis ſemper in tutelâ D. Seruatij fuiſſe, vno atque altero argumento comprobabo. Cùm Hunni Tungrorum ciuitatem deuaſtarent, circa annum Domini quadringenteſimum nonum, die quartâ menſis Iulij: *meritis B. Seruatij factum, quòd Hunni numquã Traiectum venerint, vel etiam videre potuerint, licet in circuitu vagarentur.* Anno ſalutis Chriſtianæ ſupra milleſimum quingenteſimo ſeptuageſimo nono, hæreticis Traiectum maximâ manu inſidentibus, ita mirabiliter ciuitas expugnata & liberata fuit, vt etiam ipſæ omnes Diuorum reliquiæ (quarum ingens in D. Seruatij ſacrario copia hodieq́ue viſitur) ne motæ quidem loco, fuerint conſeruatæ. Sancti cum Chriſto beati, clientulorum ſuorum patroni, eorumq́ue reliquiæ muri ac munimenti loco ſunt: plerumque cultorum ſuorum iniurias, damna, pericula propulſant. Itaque pij quique ſuarum *vrbium cuſtodes ac locorum præſides venerantur: quorum precibus & interuentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera conſe-*

M. S. Chron. Tungren. Epiſc.

Theodoret. 8. de Græcan. affect.

B

conſequuntur. Plurima beneficia cùm B. Seruatius in multos contuliſſet, fit vt perpetuò peregrinantium, etiã ex interiori Galliâ, Franconiâ, Bohemiâ, Vngariâ, maximo concurſu frequentetur. Senſerunt beneficia non pauci.

Leo Ser. 1. in nat. Pet. & Paulli.

Sicut & nos experti ſumus, & noſtri probauere maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos: vt quantum pro peccatis deprimimur, tantum eorum meritis erigamur.

8. Neque premendum ſilentio, poſtero tempore, memoriâ noſtrâ factum, quod in æde beati Seruatij ad Aquilonem æternæ memoriæ conſecratum, legitur in hæc verba:

DEO OPT. MAX.

DIVOQ. SERVATIO PATRONO.

EN MACHINAS PATRIÆ HOSTIS
AD PROTERENDAM VRBEM
CLAM INTEMPESTA NOCTE
IN FOSSAS ILLAPSI
PROPVGNANTIVM VIRTVTE
FAVSTISSIMA DIVÆ GERTRVDIS DIE
FVSI FVGATIQ.
PRÆFECTVS SENATVSQ. TRAIECTINVS
SPOLIVM MONVMENTVMQ. DICAT
ANNO M. D. XCII. XVII. MARTII.

Pro

Pro trophæo ad murum appenſæ ſcalæ ſeptemdecim, ſecures, mallei, vnci, vectes ferrei, ſerræ, funes, cunei, quibus muros, mœnia, portas tentare fruſtrà conati ſunt.

9. Sancti quid poſſunt, per miracula declarant. *Si quid fortè natura negat, vel improuiſus caſus in humanis debilitat; ad eorum ſepulcra clementia diuina reſtaurat. Cæcitatem illuminant, greſſus conſolidant, linguas reparant, aures reſerant, dæmonibus imperant, carceres aperiunt, vincula reſoluunt, eliſos erigunt, iniuſtos corrigunt, iuſtos diligunt. Hæc operantur per corpora ſpiritus, qui iam diuinis aſsiſtunt virtutibus. Quid mirum, ſi poſſunt talia in immortalitatis gloriâ conſtituti, qui ſimilia potuerunt ſub mortalitatis velamine poſiti? Vmbra curabat Petri, quotquot in plateis ponebãtur ægroti. Paulli ſemicinctia expulerunt ab obſeſsis corporibus dæmonia .... Tanti fuerunt meriti ſpirituales ſanctæ matris Eccleſiæ filij: cùm etiam carnalis ſynagogæ ſoboles per ſimiles pollerent virtutes. In Aegypto Moſis virga ſigna fecit & prodigia, & ſub Baptiſmi ſpecie rubrum diuiſit mare. Heliæ pallium Heliſæo duplicauit ſpiritum, & curſum Iordanis diuiſit eadem veſtis. Hæc ſub lege & gratiâ fecit Deus per Sanctos in carne miracula: vt intelligamus & fideliter teneamus, quid apud ipſum eorum poſsint ſpiritus.* Theofrid. Ab. Scr. de venerat. Sanct. to. 2 Biblioth. Patrum. Act. 5. 15. Act. 19. 12. Exo. 4. 17. Exo. 14. 21 4. Re. 2. 13

10. Verùm *inter omnes, qui cæleſtem re-* Conc. Baſil. Seſſ. 43.

gem pro nobis interpellant, præcipuè ad glorioſiſſimam illam & omni laude digniſſimam Dei genitricem Mariam eſt recurrendum: quæ quanto altior exiſtit, tanto humiliùs nos reſpicit, omnes ad ſe trahere cupiens, pro quibus in vtero geſtauit Saluatorem. Hæc apud Deum, quem ipſa peperit, ſedula pro nobis aduocata nos iuuat, nos tuetur, nos protegit, nos exaltat. Hæc omnibus, qui ad eam recurrunt, promptiſſimum exhibet patrocinium .... Nec ſolùm ſupplicantes exaudiet: ſed ſicuti ex ſuâ clementiâ conſueuit, etiam ſupplicare volentium preces præueniet.

CAPVT IV.

De cœnobio Fratrum Minorum, & in eo Diuæ Virginis imagine.

1. HÆc quæ habui, de primordiis & incrementis vrbis Traiectenſis. Quæ cùm à multis iure dilaudari queat: tum maximè à pietate & Catholicâ Religione; quæ à beato Materno accepta, à S. Seruatio propagata, hactenus perſeuerat. Tēpla veterrima, multa ac magnifica, Chriſtianę fidei incremēta demōſtrant, ſicut & variorum inſtitutorum monaſteria. Inter alia, Fratrum Minorum eſt cœnobium, quod Iecora fluuius interluit. Id fundatum ad annum Chriſti circiter ∞. CC. XXXIV. *quo tempore in Dionanto, Hujo, Namurco,*

murco, Aquiſgrano, Sancto Trudone, Niuella, Louanio, Machliniâ, Minores cœperũt Eccleſias & conuentus ædificare. Monaſterij vetuſtatem euincunt ſarcophagi & monumenta defunctorum, qui illic ſepulti ante annos trecentos quinquaginta. Hæreticorum furore pænè totum dirutum fuit: ſed Dei fauore & bonorum amicorum (vt ſolent quæ ceciderunt) melius reſurrexit. Chron. Tungrenſ. ſiue Leod. Epiſ. MS.

2. Templum è patrio ſectili lapide exædificatum, elegante fornicatione & conuexitate conſpicuum eſt. In quo ad dextram *Sacellum Diuæ Virgini* conſecratum, imaginem habet (paullò ampliùs longam pedes quatuor) Deiparæ Matris filiolum brachio ſiniſtro geſtantem, ſupra altare collocatam, ante memoriam hominum miraculis celeberrimam. Curæ mihi & cordi fuit, eius originationem reperire: non potui. Rogati ſenes ſeptuagenariis maiores, ingenuè faſſi ſunt, neſcire ſe quando, aut à quibus icuncula huc delata ſit. Sed tamen eſt traditio, an opinio Fratrum noſtrorum, à maioribus accepta, allatam ante annos plus minùs ducentos triginta, à nobili viro, qui factus Frater Minor, ſepultus eſt ante arã Diuæ Virginis; cuius ſarcophagus epitaphium habet in hæc verba:

ANNO DOMINI MCCCCLXXIV MENSIS MAII DIE XXV. OBIIT NOBILIS DOMINVS, ET FRATER NICOLAVS DE

HARLAER MILES ; ÆTATIS CENTVM ET VNIVS ANNORVM, CONSILIARIVS ET PRIMVS MAGISTER HOSPITII DOMINI LVDOVICI DE BORBON EPISCOPI LEODIENSIS : CVI PROPITIETVR MISERICORS DEVS. AMEN.

Opinionem confirmant verba ad imaginem capitis lapidi decuſſatim inſcripta ; *O mater Dei, memento mei.* At ſi ipſe imaginem primus non detulit: erit ipſa iam antiquior. Aiunt etenim nonnulli ante trecẽtos annos collocatam à coriariis Traiectenſibus, B. Virginis Mariæ deuotiſſimis cultoribus. Vidimus publicum inſtrumentum ſigillis confirmatum anno 1470. de Confraternitate S. Barbaræ virginis martyris, in quo mentio fit Sodalitij B. Mariæ in iſtâ noſtrâ Eccleſiâ, ſanè celeberrimi frequentiſſimique.

3. Itaque in obſcuro eſt, vnde & quo tempore ſacra Virginis Mariæ imago huc delata ſit. *Quod cùm vel Dei nutu, vel vitio vetuſtatis eueniat, calumniâ carere debebit.* Eò potiſſimùm, quòd apud Ioannem Brouvvers olim Conſulem Traiectenſem, & Syndicum noſtrum, ſcripta depoſita, quæ ad Sacellum D. Virginis pertinebant, carrucâ ſemel non vehenda, iſti Catholicæ pietatis perduelles, rapientes diſperſerint & exuſſerint, genio truculentiſſimi perſecutoris Eccleſiæ Diocletiani.

ni. Non admittunt in aures lectionem opinionum ſuarum præſumpta vincentem: ſed intercipiunt & ſilentio premunt. Hoc non eſt Veritatem defendere, ſed teſtificationem Veritatis timere. Vtcumque ſe res habeat: ſingulari Dei fauore etiamnum ſacram habemus imaginem, de quâ agimus: ad quam à remotiſſimis locis, vti olim, ita nunc quoque piorum quotidianus eſt concurſus, pro ſalute corporum animarumque conſequendâ.

4. Et ego cum illis, Dei Genitrix Virgo, quam toto curriculo vitæ, in cunctis actionibus ducem patronamque delegi & ſenſi; in imagine tuâ tibi, ad aram tuam, animo & corpore prouolutus ſupplico, verſibus licet alienis, proprio tamen & deuotiſſimo affectu:

Ad ſuperos clamo, ſupplex & Numina planctu Bapt. Mant. voto ad B. Virginē.
Sollicito: Diuos in mea vota voco:
Sed te præcipuè, Diuorum maxima Virgo,
Mitis in humanum quæ genus eſſe ſoles.
In nos magna tui ſunt experimēta fauoris:
Et pietas omni iam tua nota loco eſt.
Erue nos cunctis igitur Regina periclis:
Et laceræ ſparſas collige nauis opes.

CAPVT V.

Quomodo D. Virginis imago præſeruata fuerit à ſacrilegiis iconoclaſtarum.

1. INTER miracula D. Virginis, ad eius imaginem patrata, illud in primis admirandum & diuulgandum; ipſam eius icunculam, mirabiliter ab hæreticorum furore ſeruatam, vt ex relatu fide digno didicimus. Ante Traiectenſis vrbis obſidium ∞. IↃ.LXXIX. Ioannes Colonienſis molitor coriariorum eam abſtulit è noſtro templo in ſuam domum, atque inde ad ædes vicini. Hic vt tutiùs aſſeruaretur ab hoſtibus, detulit ad monaſterium Virginũ Noui horti: vbi ſupernè in tabulato poſita fuit. Inſeſsâ iam ab hæreticis ciuitate, etiam in illo Virginum ſacratarum cœnobio, profani milites ſtationem habuere. Horum vnus cùm domum ſupernè luſtraret, fortè vidit D. Virginis imaginem: quam cùm ſtricto gladio peteret, non tamen icturus; brachium, quo ictum minabatur, illicò obriguit. Exterritus deſcendit, Duci ſuo refert quod acciderat. Is, vt ignauo exprobrans imbelliam; Quiſnam tu, inquit? & idolum iſtud adoriri times? ipſe aggrediar. Pari temeritate gladio euaginato percutere tẽtans, pari pœnâ punitur. Brachium etiam cùm inflexibile ſentiret, ſtupens & irâ percitus, Matrem adit mona-

monaſterij: cum eâ expoſtulat, tamquam illa ſe cum milite maleficio affeciſſet, hæreticorú genio magiæ tranſcribens factum diuinâ virtute. Propè erat, vt Matrem enſe configeret. Sed qui ſuæ Matris imaginem tuitus eſt, etiá cœnobij Matrem à militis cæde cohibuit. Quod cùm innotuiſſet, viri pij, quò tutiùs imago cuſtodiretur, nocte per muros demiſſam ad ædes viduæ Mariæ Luckers attulerunt, quæ hodieque viuit. inde, cùm iam ciuitas Duce Parmēſi Regiorum in poteſtatem reueniſſet, à noſtris Fratribus relata, ſuo loco reſtituta multis miraculis coruſcauit.

2. Numen ſuum beatiſſima Virgo prodidit in imagine, honori ſuo propagando, procurandæ multorum ſaluti. Neque hoc inſuetum nobis videri debet: olim huic ſimile factum hiſtoriæ commemorant. *Cyrus Smyrnæorum Epiſcopus templum Dei Genitrici dicauit, quod Cyri dicitur. id huiuſmodi occaſione iſthic eſt erectum. Cupreſſus in eo loco ingens & procera fuit: in quâ ſuperioribus temporibus (neſcio quomodo) imaginem Dei Genitricis quidam occultauit. Quum autem multum præteriiſſet temporis, & imago lateret, ipſa ſeipſam indicauit. Cupreſſus enim immenſo coruſcans lumine, perinde atque fax vna ardere viſa eſt; & ingens etiam miraculorum vis ab obſcurâ & latente efficaciâ manauit. Vbi autem quidam curioſitate laudatâ arborem* Theodoſ. Iun. Imperatore. Niceph. Call. lib. 14. c. 46.

 con-

conſcendit: imago ea, vnde miraculorum vis profluxit, apparuit. Quapropter Cyrus loco ei honorem habens, pulcherrimum & maximum Dei Genitrici conſtruxit delubrum.

3. Tu mi Lector animum aduerte. Vetera fidem aſtruũt hodiernis: noua comprobantur veteribus exẽplis. Legiſti D. Virginis imaginem in arbore ſe aperuiſſe, & admiranda ſaluti mortalium patraſſe. In Aſpricolle D. Virginis imago etiam ſe prodidit; eò loci, vbi in quercu priùs poſita fuit: quæ ſtupenda non fecit, cottidieque non facit? Et, amabò, cur neges? Deus æternus qui ſemper viuit, vetera fecit: & nunc viuens mirabilia facit. Cur autem qui omnipotens eſt, cùm per ſe poſſit omnia, non faciat per alios? Sed iſti in oculis omnium geſta rident & ſubſannant, quorum hæc talis ars & profeſſio. *Scioli tantùm ad detrahendum: qui in eo ſe doctos oſtentare volunt, ſi omnium dicta lacerent.*

Hier. apol. adu. Iouin c. 7.

4. At verò, quemadmodum aurum, quod per ignem probatur, efficitur nitidius: ita per nebulonum calumnias D. Virgo inclareſcet illuſtrior. Vetuſta maiorum pietas fuit, templa magnifica erigere, Deo in honorem, Diuis in memoriam: & procul dubio illi fini, quem Iuſtinianus Imperator ſcribit; *Qui conſtituerunt vel fundârunt ſanctiſſimas Eccleſias, pro ſuâ ſalute & communis Reipub. reliquerunt eis ſubſtantias, vt per eas debeant* LITVRGIÆ *fieri*

In Authẽ l. 2lj. c. de Epiſc. & Cler.

fieri; & vt in illis, à miniſtrantibus piis clericis Deus colatur. Magna illa nomina, Imperatores, Reges & Principes, Conſtantinus M. Theodoſij, Carolus M. Othones, quàm conſpicua templa Deo Diuiſque conſecrauerunt! Hiſtoriæ copioſiſſimè commemorant, non reſcribo. Rem notam dico: nuſquam pæne terrarum exſtare Dominica, quæ famam merentur, quę Chriſtiani Principes non fundauerunt, vnà etiam liberaliſſime dotauerunt. In his inuenias veteres lapides, altaria, imagines, monumenta Catholicam pietatem aſtruentia: iſtam qui deſeruerunt, eos conficitur eſſe, de quibus Apoſtolus; *Spiritus manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*; &c. 1. Tim. 4. 1

CAPVT VI.

Diuæ Virginis Diuorumque imagines, Apoſtolorum æuo factas, piis in vſu ſemper & honore fuiſſe.

1. CVLTVM ſacrarum imaginum improbare, ſpiritus erroris eſſe, inuicto conuincimus argumento: quòd conſtet, Chriſti, B. Mariæ, & Apoſtolorum icones ipſis Apoſtolorum temporibus factas, imò & à diſcipulis & comitibus Apoſtolorum. Priùs ex Euſe-

Euſebio reſcribo, quæ de Chriſti imagine tradit, factâ ab hæmorrhoiſſâ, quâ Seruator ſanguinis profluuio liberauit. Teſtatur in vrbe Paneade, vbi illa nata dicitur, ſuo ſæculo illius domum oſtenſam. atque ait: *Admirabilia quædam Seruatoris in eam beneficij monumēta, & quaſi trophæa ad hoc tempus durare memorant. pro foribus enim domus illius, æneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus inſtar ſupplicantis in anteriorem partem extenſis, ſuper editum lapidem collocatam. huic è regione, viri erectam imaginem, ex eâdem materiâ conflatam, veſtitu ad talos demiſſo decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem. ad cuius pedes in ipſâ baſi peregrinam quamdam & inuſitatam herbæ ſpeciem enaſci: quam quidem, vbi ad ænei veſtitus fimbriam excreuerit, morbis cuiuſque generis medicandi vim & facultatem habere. Hanc ſtatuam, effigiem Ieſu exprimere dicunt; quam ad noſtram vſque ætatem manentem, ipſi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus.*

Mat. 9. 20. Euſeb. Cæſar. 7. Eccl. hiſt. c. 14. Damaſc. orat. 3. de Imaginib. Synod. Nicen. II. Act 4. ex ep. Germ. Ep. Conſtant.

2. *Neque adeò mirum videri debet, qui aliquid beneficij olim à Seruatore noſtro accepere, eos, per huiuſmodi monumenta, grati erga eum animi memoriam reliquiſſe: quum etiam ſanctorum Apoſtolorum Petri & Paulli, ipſiúſque adeò Chriſti, & quæ eum ſupra naturæ captum mirificè genuit, Virginis Matris, coloribus adumbratas imagines plurimas, ad hunc vſque*

Niceph. Calliſt. c. 6 Eccl. hiſt. c. 15. & ſeq.

vſque diem conſeruatas eſſe norimus. Ac Lucas quidem Apoſtolus, primus ipſas, accuratè opus id exorſus, manibus ſuis depinxit. Deinde verò ex veteribus alij quoque viri, pro eo atque par erat, veluti ſeruatores ſuos in ſignis & picturis ſeruantes idem fecere; ethnicâ quidem illi fortaſſe conſuetudine ducti, & morem eum colere ſoliti, abſque tamen neceſſariâ obſeruatione obtinere id tradiderunt. Sed Eccleſia inde acceptum, magis ac magis adauxit (prouidentiâ Dei curante atque diſponente) non modò effigies & ſtatuas, verumetiam veſtes, baculos, & lectos ſanctorum illorum virorum conſeruans, ad memoriam eorum ſempiternam.

3. Quâ vetere veraque pietate, Pulcheria Augusta, tria Deiparae matri ex ipſis fundamentis templa erexit: quorum vnum eſt in Chalcoprateio, ſiue fabrorum foro, Sacri tumuli nomen habens. In hoc, veluti theſaurum, Dei Genitricis depoſuit zonam .... Secundum templum Ὁδη-γῶν, Viæ Ducum eſt: vbi Antiochiâ miſſam Verbi Matris imaginem dedicauit, quam diuus Apoſtolus Lucas ſuis manibus depinxit, illâ adhuc viuente & tabulam ipſam vidente, gratiámque adeò illi formæ immittente. Hæc imago primùm in eo loco, qui Tribunal dicitur, fuit: vbi ea, quæ nunc quoque fiunt, miracula peracta ſunt. Tertium templum eſt, cui nonen Blanchernæ, in quo ſepulchrum B. Mariæ fuit à Martiano poſitum. Niceph. Calliſt. lib. 15 Eccleſ. hiſt. c. 14.

4. Ita-

4. Itaque Chriſti imagines eiuſque Matris,
Syn. Nic. II. Act. 6. aliorumque Diuorum, *ab illis temporibus, imò, (vt veriùs loquar) ab Apoſtolorum prædicatione exſtiterunt: quemadmodum omni loco, ex earumdem inſpectione in templis ſacris docemur; id quod & Patres ſancti teſtificantur, & hiſtoriarum enarratores tradunt, quorum Commentaria etiam in hunc vſque diem ſeruantur. In primo enim & quinquies milleſimo anno Chriſtus Deus noſter ad homines veniens, & triginta duobus annis, & menſibus circiter quinque nobiſcum viuens, & magnum illud & ſalutare myſterium operans, in cælos migrauit, aſcendens iſthuc vnde deſcenderat. Quo ſanè tempore Apoſtolis mandauit, vt ea quæ à ſe erant docta, alios deinceps docerent. A temporibus itaque illis vſque ad tempora Conſtantini, primi ex Imperatoribus plenè Chriſtiani, anni propemodùm trecenti acti ſunt, ante illum ferè gentilibus tyrannicè regnantibus. Per illa autem tempora, Chriſtianorum plurimi certamen præclarum certantes, non ſine martyrio vitam hanc liquerunt; ídque dum idolorum ſtatum ſtudioſè oppugnauerunt. At verò Chriſtianorum cœtus diuinâ æmulatione ducti, templa conſtruxerunt, partim Chriſti nominis gratiâ, partim ſanctorũ Martyrum cauſſâ. Atque illi quidem hiſtoriam humanæ Chriſti diſpenſationis in iis pinxerunt: hi verò Martyrum geſtis effigiandis operam collocarunt. Alij id tabulis expreſſere, quò Marty-*

rum

rum memoriam in oculis perpetuò ferrent, aut ipſius etiam Chriſti facta. Alij autem in veſtibus ſacratis, in pretioſis repoſitoriis, in quibus incruenta ſacrificia peragunt, imagines pinxere. Et ſanè euidenter hæc, ad noſtra vſque tempora oſtenduntur, durabúntque per ſæcula: quamtumuis amaritudine & bile, hæreticorum linguæ contra Eccleſiam & ſex Synodos vniuerſales flagrent. Ipſæ autem Dei nutu per diuerſa tempora congregatæ, quò illos ſubuerterent, ea quæ in Catholicâ Eccleſiâ, & per ſcripta, & ſine ſcriptis tradita ſunt, confirmarunt & ſtabiliuerunt; inter quæ & imaginum etiam confirmationem.

5. Quamobrem & ego cum Euthymio Epiſcopo Sardenſium, *confiteor de ſanctis & venerandis imaginibus, non veluti hoc ſit nouum aliquod dogma aut nuperum inuentum recipiens; ſed clarè cognoſcens ex Apoſtolicâ traditione, ſanctorúmque Doctorum in Eccleſiâ iuſſu, per manus nobis traditum. ob eam cauſſam venerandas imagines ex toto corde, cum debito honore, & ſalutatoriâ adoratione ſuſcipio. Eos verò qui ſecùs ſentiunt, aut reclamant, contrariáve docent; alienos à Catholicâ Eccleſiâ arbitror, renuntio, & hæreticos proclamo.* Syn. Nic. II. Act. 2.

CA-

CAPVT VII.

De ſacrarum imaginum vſu ſalutari, ex Synodo Nicenâ ſecundâ.

Syn.Nic. II. Act.6. 1. MAGNAM *ſanè ſecuritatem in eo collocamus, quòd nulla recentia inuenta ad rem noſtram probandam inquirimus: ſed Apoſtolicis & Patrum doctrinis, item Eccleſiaſticis conſtitutionibus acquieſcentes, his noſtra confirmamus*. Non perdam operam, ſi nonnulla de vſu, fructu, & cultu Diuorum imaginum reſcripſero ex Synodo Nicenâ II. celebratâ anno Chriſti ſeptingenteſimo octogeſimo, contra barbaram & furioſam iconomachorum inſaniam.

Ind. Act 2. epiſt. Adr. Papæ ad Imp. Conſtant. & Iren. 2. *Omnis imago, ſiue Angelorum, ſiue Prophetarum, aut Apoſtolorum, aut Martyrum, aut alioqui iuſtorum virorum, in nomine Dei facta, ſancta eſt. Non enim ipſum lignum honoratur, ſed ipſum illud, quod in ligno datur contemplandum: atque ita per recordationem veneratio exhibetur. Omnes enim Principes, etiamſi peſſimi ſint peccatores, adoramus & reuerenter ſalutamus. quid vetat igitur, quò minùs non liceat & ſanctos Dei miniſtros venerari; & in memoriam eorum imagines ſtatuere & erigere,*

Ind. Act. 7 epiſt. Tharaſ. ad Imp. Conſt. & Iren. *ne in obliuionem perpetuam veniant?*

3. *Quamobrem omnibus modis recipiendæ ſunt venerandæ imagines Domini noſtri Ieſu Chriſti,*

Chriſti, quatenus ſcilicet perfectus homo fuit; & hæ quoque omnes, quæ hiſtoricè è ſacrâ Euangeliorum narratione depinguntur: nempe intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ſanctorum quoque Angelorum: nam hominibus ipſi quoque in formâ hominis viſi ſunt. item Sanctorum omnium; quorum prælia & certamina tabulis & parietibus, ſacris item veſtibus & vaſis inſculpta amari debent: quemadmodum Catholica Eccleſia multis retrò ſæculis in hiſce eſt inſtructa. Sic enim ea accepit, ſic à ſanctis noſtræ diſciplinæ ducibus, & eorum ſucceſſoribus patribus noſtris, ſtatutum eſt.

4. Igitur *probandæ, quæ à primordio receptæ traduntur imagines; principio Ieſu Chriſti Domini noſtri, & ſanctæ Deiparæ Virginis, ſiue ex auro, ſiue ex argento, ſiue colorum ductibus, ſiuę quacumque materiâ exprimantur: vt omnibus manifeſta fiat eius in carne œconomia. Neque diſſimili ratione probantur ſanctorum & omnibus ſæculis laudatorum Apoſtolorum, Prophetarum, Martyrum geſta, politiæq́; : vt in omnium oculis prælia & certamina, quæ pro Chriſto ſubierunt, hæreant; atque id in compendioſam veluti ſcripturam, narrationem, & eruditionem populi, maximè ſimplicioris. Nam ſi Imperatorum vexillis ſanctioribus, & imaginibus in ciuitates & prouincias miſſis, omnis* Ind. Act. 1. confeſſ. Theod. reſipiſcentis.

populus cum cereis & ſuffimentis odoratis oc-currit: quanto iuſtius eſt, in Chriſti Dei noſtri eccleſiis imaginem Seruatoris noſtri Dei, & intemeratæ Matris eius, ſanctorum etiam omnium Patrum & piorum, erigere?

CAPVT VIII.

De ſaluberrimis fructibus ab imaginibus ſacris, ex eâdem Synodo.

Greg. Ep. Sen. lib. 9. epiſt. 9. De conſ. d. 3. c. 27. Perlatum.

I. QVOD *legentibus ſcriptura, hoc & idiotis præſtat pictura: quia in ipſâ ignorantes vident, quid ſequi debeant; in ipſâ legunt qui litteras neſciunt: vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt.* Copioſiùs id ex Synodo Nicenâ ſecundâ declarare operæ pretium eſt. *Iuxta antiquam conſtitutionem ſanctorum Patrum noſtrorum, imaginum picturam ad inſtructionem & memoriam mentis noſtræ, & participationẽ ſanctificationis, Eccleſia recepit. Quidquid enim ſanctum Euangelium per lectionem nobis demõſtrat, hoc idem imagines per inſpectionem. Quidquid item libri de paſſionibus Martyrum narrant, hoc ipſum etiam imagines ſignant. Has enim recipimus tamquam effigurationem prototyporum, nihilominùs credentes in vnum Deum in Trinitate laudatum; eidemq́; ſoli latriam exhibentes, poſcimus interceſſionem intemeratæ Dominæ noſtræ ſanctæ Deiparæ, ſanctorum item Angelorum, omnium-*

Tharaſ. in ep. ante Syn. Nicen. II.

niúmque Diuorum, & Patrum noſtrorum.

2. *Ad recordationem fortitudinis eorum, & rectam pro Chriſto ſeruitutem, ſimilitudines eorum depingimus: non quòd de diuinâ naturâ participent, per hoc demonſtrare volentes; neque debitum tantummodò diuinæ poteſtati & gloriæ honorem illis tribuentes: verùm deſiderium noſtrum & amorem, quo erga eos affecti ſumus, ita declaramus. Nam quæ per auditionem tamquam vera credidimus, hæc etiam per pingibilem imitationem, ad ſtabiliorem noſtram inſtructionem collocamus: quando & ipſi Sancti Dei, in vnum & ſolum Deum, cultum adorationis, & glorificationem, & procreationem conſeruantes, pro Chriſto ſanguinem ſuum effuderunt, & veræ confeſsionis coronam acceperunt. Hæc imaginum apparatus ratio eſt: non quòd nos adorationem in ſpiritu & veritate, incomprehenſibili & inueſtigabili Deitati decentem, in manufactas imagines, aut in opera hominum arte facta, aut ſanè in ea quæ ſubſunt Deo, ſiue viſibilia ſint ſiue inuiſibilia, transferre ſtudeamus: verùm vt dilectionē noſtram, quam iuſtè in ſanctos Dei ſeruos habemus, per iſtum modum exhibeamus: & per honorationem illorum, in eum qui per illos glorificatus eſt, quíque illos glorificauit, in confeſsionem potentiæ ſuæ, Chriſtum, glorificationem & cultum referimus: ita, vt & nos imitatores fortitudinis eorum, & dilectionis erga Deum, per bono-*

Syn. Nic. II. Act. 4. in epiſt. S. Germ. Patriar. Conſtantinop.

Ioan. 4. 25.

rum operum contra paſſiones reſiſtentiam, ſiamus. Hunc autem eſſe imaginum in Eccleſiâ Dei vſum vnuſquiſque per hanc inſtructionem cognoſcat: neque aliunde nos ſalutis ſpem, ſiue in hoc mundo, ſiue in futuro ſæculo exſpectare, niſi ab vnigenito Filio Dei, qui ſimul cum Patre & Spiritu ſancto diuina dona largitur. Act.4.25. *Non enim aliud nomen, per quod ſaluari queamus, hominibus datum eſt. At ſi Domini & Seruatoris noſtri, item intemeratæ eius Matris veræ Deiparæ, nec non Sanctorum imagines ſalutamus, confeſtim etiam fidem & diſpoſitionem mentis erga illos habemus: ſed vnum Deum ſine principio, ſine fine, qui omnia in manu ſuâ habet, factorem noſtrum & omnis creaturæ, & verè Seruatorem, habentem poteſtatem in cælo & in terrâ, pro genere humano hominem factum agnoſcimus. Ancillam autem & Matrem illius exiſtentem, verè pro genere noſtro intercedentem præſentiſſimè, (ita vt Dominus noſter ſalutem diſpenſet, illa verò materno affectu pro nobis poſcat) agnoſcimus. Sanctos denique omnes, tamquam conſeruos noſtros, & eiuſdem nobiſcũ naturæ participes gratiſſimos Dei miniſtros, & hac gratiâ à Deo donatos, vt beneficia à Deo data nobis miniſtrent, curationes morborum, & periculorũ liberationes, quando per memoriam eorũ inuocatio Dei fit, quatenus nobis in hymnodiis & glorificationibus poſſibile eſt, agnoſcimus.*

Syn.Nic. II.Act.6. 3. *Sancta Dei Catholica Eccleſia ad pœnitentiam*

tentiam & cognitionem obſeruationis mandatorum Dei omnes noſtros ſenſus trahit, & ad gloriam Dei cognoſcendam ſtudet nos deducere: non modò per auditum, ſed & per viſum, morum correctionem moliri cupiens, ea quæ acta ſunt, omnium oculis optat etiam eſſe conſpicua. Cùm enim ex auaritiâ & habendi ſtudio aliquem rapit: Matthæum ex telone Apoſtolum Matth. 9.9.
illi indicat, qui relictâ auaritiæ inſaniâ, Chriſtum ſecutus eſt. eodem modo Zachæũ aſcenden- Luc. 19. 1.
tem in ſycomorum arborem, & Chriſtum deſiderantem videre, & comparantem ſeſe, vt dimidietatem bonorum ſuorum det pauperibus; & ſi quem defraudarit, vt reddat illi quadruplum. Ita imaginum pictarũ iugis contemplatio, continuò memoriam exercet, ne iterùm recurratur ad proprium vomitum. Si quem amore meretricio detentum rapere cupit: caſti Ioſeph imaginem Gen. 39. 7.
proponit, qui adulteram execratus, temperantiâ illum vicit; atque hoc ipſum factum in imagine repræſentatum, amatores huius virtutis multùm confirmat. Rurſus alibi beatam Suſannam con- Dan. 13. 1.
tinentiâ exornatam exhibet, extenſis manibus auxilium ex alto inuocantem, Danielémque præſidentem iudicem eruentem eam è manibus impiorum Sacerdotum: ipſa autem pictura ad recordationem temperantis & continentis vitæ facit. Rapere vult aliquem luxurioſum, molli- Luc. 16. 19.
búſque veſtimentis indutum, & non erogantem in pauperes, quæ poſſet ab illis pretioſis veſtibus
 ſumere,

Matth. 3. 4 *ſumere,& à ſuâ delicatâ vitâ? Ioannem huic pilis camelorum indutum, edentémque ſilueſtre mel, & digito Chriſtum, qui ſuffert peccata mundi, indicantem exhibet. His adiungit Baſilium Magnum, & cum eo ſolitariorum ieiunantiúmque, corporibus in terram ſtratis, multitudinem. Sed ſatis ſit horum paucorum mentionem feciſſe: reliqua auditoribus inueſtiganda relinquo. Habemus etenim totam Euangelicam narrationem depictam, & in recordationem diuinorum nos ducentem, gaudióque nos implentem.*

Syn. Nic. II. Act. 6. vbi ſuprà. 4. *Hæc enim cùm nobis ob oculos fuerint poſita; corda illorum, qui timent Dominum; exultant, florent vultus, anima contriſtata in voluptatem transformatur: & cum diuino patre David pſallit; Recordatus ſum Dei, & exultaui.*
Pſal. 76. 4. *Itaque per ea ſemper Dei recordari poſſumus. Nam eſt cùm lectio in ſacratis templis non pronuntiatur: imaginum autem apparatus & manè, & meridie, & veſpere in his fixus, actorum veritatem nobis narrat & annuntiat.*

Ind. Syn. Nicen. 5. *Traditionem itaque Eccleſiæ recipiamus, legiſlationem eiuſdem veneremur: ne flocci pendamus piam & diuinam cõſuetudinem; in vetera & priſca iudicia ne ſimus curioſi. Omne enim quod in recordationem Dei erigitur, acceptum illi eſſe conſtat. Qui autem ſe excludunt ab iſtâ Traditione quam acceptarunt, quicumque germani in Eccleſiâ Catholicâ filij fuerunt; an non*

ſunt

ſunt nothi & minimè legitimi? An nondum ſentimus probam & laudabilem eſſe imaginum erectionem? an non ſentimus ſpiritualiter nos per eas referri ad prototyporum recordationem? Sanè ſentimus. Quapropter non indignas habebimus eas honore, ſalutatione & veneratione, debitamq́, adorationem illis dare debemus. Siue igitur placebit ſalutationem, ſiue adorationem appellare: idem profectò erit, modò ſciamus excludi latriam.

CAPVT IX.

De cultu approbato, & veneratione ſacrarum imaginum, ex eâdem Synodo Nicenâ.

1. QVALIS *verò eſt iſte adorationis honor? profectò non alius, quàm is, quo nos peccatores quoque inuicem proſequimur, ſalutantes nos inter nos per honorationem & dilectionem.* Syn. Nic. II. Act. 2. epiſt. Adr. Papæ ad Imp. Conſtant. & Iren.

Si verò in Scripturâ & elegantibus noſtris Patribus, adorationem quis dixerit pro cultu ſiue latriâ, quæ in ſpiritu fit, ſumi; non negamus. Nam cùm vox ſit multæ ſignificationis, non poteſt non aliquando pro cultu adorationis in ſpiritu ſumi. Adoratio enim eſt, cùm venerationem, deſiderium, & timorem ſignificet: ita nos victorioſum & placidiſſimum imperium adora- Ind. Act. 7. epiſt. Taraſ. Epiſc. ad Imp. Côſt. & Iren.

mus. Eſt adoratio, quæ tantummodò timorem
Gen.33.3. *ſignificat: quemadmodum Iacob adorauit Eſau. Eſt quæ gratiam notat: quomodo Abraham pro*
Ind. 23.7. *agro quē accepit à filiis Heth, in ſepulcrum Saræ vxoris ſuæ, adorauit illos. Rurſus qui ſperant beneficium ſe accepturos à potentioribus, eos*
Ind.47.11 *adorant: quemadmodum Iacob adorauit Pha-*
Mat.4.10. *raonem. Hinc diuina Scriptura dicens; Deum tuū adorabis, & illi ſoli cultum exhibebis; Adorabis abſolutè ponit, neque adijcit Soli: vt ſignificetur vox diuerſæ notionis, & æquiuocæ. Cultum autem exhibebis, ſiue ſeruies ſoli, dixit: quam ob cauſſam latriam vni Deo tribuimus, ádque illum referimus. His ita ſe habentibus, in confeſſo eſt, & ſine vllâ dubitatione credimus, acceptam & placitam coram Deo eſſe venerandarum imaginum depictionem, & earum quæ diſpenſationem Domini noſtri Ieſu Chriſti exprimunt, & Virginis quoque Mariæ Deiparæ intemeratæ; quinetiam glorioſorum Angelorum, & omnium Sanctorum: has quoque adorandas & ſalutandas putamus. Qui verò ita non eſt animatus, ſed circa venerandarum imaginum adorationem laborat & dubitat; eum anathematiẓat ſancta & venerāda noſtra Synodus, quæ efficaciâ diuini Spiritus, & eccleſiaſticis Patrum Traditionibus munita eſt & cincta.*

Synod. Nic. II. Act.4. 2. Cùm igitur me videris Chriſti, aut eius inculpatæ Matris, aut alterius iuſti imaginem ſalutantem; confeſtim indignaris, blaſphemias *fundis,*

fundis, reſilis, & idololatras nos vocas. Mirum te neque horrere, neque tremere, neque erubeſcere! cùm videas me per omnem terrarum orbem idolorum phana deſtruentem, Martyrum verò templa ædificantem. Iam ſi conſtat me idola adorare: quid cauſſæ eſt, quamobrem Martyres, qui idola deſtruxerunt, veneror vt deos & glorifico? quo pacto ipſos Martyres, qui ſtatuas ligneas confregerunt, honore proſequor? Si ligna vt deos glorifico: quomodo veneror & adoro Martyres & Apoſtolos, qui lapideas effigies perdiderunt? Quomodo honore afficio, lando, templa erigo, feſta celebro tribus illis pueris, Dan. 3. 14. *qui in Babylone imaginem auream non adorarunt? Verè magna eſt Iudæorum cæcitas, magna impietas! in veritatem iniurÿ ſunt: ingrata Iudæorum lingua, in Deum conuitia dicunt.*

3. *Nos crucem ita non affamur, neque etiam* Syn. Nic. II. Act. 4. *Sanctorum imagines; Dÿ noſtri eſtis. Non enim dÿ noſtri ſunt, ſed tantummodo ſimilitudines & imagines Chriſti & Sanctorum illius, ad commemorationem, honorem, & decorem Eccleſiarum veneranda. Nam qui Martyrem colit, Deum ipſum colit: qui Matrem illius adorat, ipſi honorem aſsignat: qui Apoſtolum honore proſequitur, ipſum qui Apoſtolum miſit, adorat. Vtinam & tu quoque Moſaicas & Propheticas imagines feciſſes, illáſque quotidie adorares! Sic*

 enim

enim eorum Domino & Deo veram latriam exhiberes, non autem aureas ſtatuas Nabuchodonoſoris.

Indid. 4. *Quâ verò fronte contra me, imaginum*
[a]Gen.23.7 *& crucis cauſſâ inſurgis: cùm noris* [a] *Abrahamum*
[b]Exo.18.7 *mum idololatras adoraſſe?* [b] *Moſen verò Ietro*
[c]Gen.47.11. *idololatræ idem feciſſe?* [c] *Iacob autem Pharaonem,*
[d]Dan.2.47 *nem,* [d] *Daniel Nabuchodonoſorem? Hi prophetæ & iuſti cùm ſint, ob beneficia quædam illis præſtita, in terrâ exiſtentes illos idololatras adorarunt: me ſcilicet Crucem, Sanctorumq́; effigies, à quibus infinita beneficia, Deo procurante, nobis obtigerunt, adorantem deſpicies? Quandoquidem qui Regem metuit, filium illius iniuriâ non afficit. Qui Deum timet, hic omnino etiam Filium Dei, Crucíſque illius typum, & Sanctorum illius effigies colit & adorat.*

Syn. Nic. II. Act.6. 5. *Hebræi autem & Agareni, & alij item infideles conuitia & maledicta in diuinam Crucem, & venerandas imagines, item ipſos Chriſtianos coniicere ſolent: Chriſtiani enim non ſolent ſe inuicem huiuſmodi conuitiis proſcindere. Hi autem fugitiui à veritate & Eccleſiaſticis decretis, tradiderunt ſe falſis accuſationibus & conuitiis: neque aliud quidquam conuehunt, quàm plauſtra maledictionum & accuſationum contra Chriſtianos, eorúmque Pontifices & Sacerdotes; quaſi hi reliquerint, ſcilicet, Deum viuentem & verum, & imaginibus culturam exhibuerint: facti procul dubiò*

culdubiò conuitiatores, contumeliatores, loquentes ſine iudicio, & in verbis peccãtes. Quis autem timentium Deum, nõ propter hanc eorum impietatem, in maximum riſum non effunditur, aut potiùs luctum triſtem non aſſumit?

CAPVT X.

Quâ ratione Diuorum imaginibus dentur ſuffimenta, lumina accendantur, ex eâdem Synodo.

1\. HIS *ſic ſe habentibus, regiam viam incedentes, & ſanctorum noſtrorum & diuinorum Patrum doctrinæ inſiſtentes, & Catholicæ Eccleſiæ (in quâ ſanctus Spiritus inhabitat) Traditionem obſeruantes; definiuimus cum omni diligentiâ & curâ, venerandas & ſanctas imagines, ad modum & formam venerandæ & viuificantis Crucis, è coloribus & teſſellis, aut aliâ quauis materiâ commodè paratas, dedicandas, & in templis Sanctis Dei collocandas habendaſq́; tum in ſacris vaſis & veſtibus, tum in parietibus & tabulis, in ædibus priuatis, & in viis publicis: maximè autem imaginẽ Domini & Dei Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti; deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorum Angelorum, & omnium ſanctorum virorum: quò ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectionem, omnes qui contemplantur, ad prototyporum memoriam & recordationem* Syn. Nic. II. Act. 7.

& de-

& deſiderium veniant; illiſq́; ſalutationem, & honorariam adorationem exhibeant: non ſecundùm fidem noſtram, veram latriam, quæ ſolùm diuinæ naturæ competit; ſed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis Crucis, & ſanctis Euangeliis, & reliquis ſacris oblationibus ſuffitorum & luminarium reuerenter accedimus, quemadmodum veteribus piè in conſuetudinem hoc adductum eſt. Imaginis enim honor in prototypon reſultat: & qui adorat imaginem, in eâ adorat quoque deſcriptum argumentum. Sic enim ſanctorum noſtrorum Patrum obtinet diſciplina, & Traditio Catholicæ Eccleſiæ, quæ à finibus vſque ad fines Euangelium ſuſcepit.

Nota.

Ind. Act. 4. 2. *Omnes igitur qui ſacras imagines ſe venerari confitentur, adorationem autem recuſant, tamquam hypocritæ redarguuntur. Nam cùm verè adorationem, quod eſt honoris ſymbolum, recuſant, contrarium facere cognoſcuntur, nimirum Sanctis conuitia dicere.*

Ind. 3. *Verùm ne quempiam offendat, quòd ante Sanctorum imagines lumina & ſuaueolentia thymiamata accenduntur: ſymbolicôs enim iſta fieri in honorem illorum, opinandum eſt, quorum cum Chriſto requies; quorum honor ad ipſum recurrit, hoc ipſum teſtante ſapiente Baſilio; Quod erga conſeruos bonos honor, erga ipſum Dominum commune beneuolentiæ ſignum exhibet. Senſibilia enim lumina ſymbolum ſunt immaterialis*

Lib. de Spiritu ſancto c. 18.

rialis illius, & à Deo dati luminis. Aromatum autem incenſio ſynceram, & totum ſancti Spiritus afflatum & repletionem ſignificat.

4. *Sancta Synodus exclamauit; Omnes ſic credimus; omnes idem ſapimus; omnes approbantes ſubſcripſimus. Hæc eſt fides Apoſtolorum; hæc eſt fides Patrum; hæc eſt fides Orthodoxorum; hæc fides orbem terrarum confirmauit. Credentes in vnum Deum, in Trinitate laudatum, venerandas imagines amplexamur. Qui ſecùs agunt, anathemate percelluntor. Qui ſic non ſentiunt, ab Eccleſiâ depelluntor.* Syn. Nic. II. Act. 7.

5. *Nos antiquæ Eccleſiæ legiſlationi inſiſtimus: nos decreta Patrum cuſtodimus: nos adiicientes aliquid aut auferentes Eccleſiæ anathematizamus. Nos venerandas imagines ſuſcipimus: nos qui ſecùs faxint anathemate percellimus.*

Quicumque ſententias ſacræ Scripturæ de idolis contra venerandas imagines adducunt, anathematizamus. Qui venerandas imagines idola appellant, anathema. Qui dicunt, quòd imagines Chriſtiani vt deos adorent, anathema. Qui ſcientes communicant cum illis, qui contra venerandas imagines ſentiunt, aut eas dehoneſtant, anathema. Qui præter Chriſtum Dominum Deum noſtrum dixerit alium nos à cultu idolorum liberaſſe, anathema. Qui audent Eccleſiam Catholicam dicere idola aliquando ſuſcepiſſe, anathema......

Si

Si quis ex iconoclaſtarum hæreſi aliquem exiſtentem defenderit, anathema. Si quis Deum ſecundùm humanitatem non circumſcriptibilem confeſſus fuerit, anathema. Si quis Euangelicas narrationes per picturam repræſentatas non acceptauerit, anathema. Si quis has non ſalutauerit in nomine Domini, & Sanctorum eius, anathema. Si quis Traditionem Eccleſiæ, ſiue ſcripto ſiue conſuetudine valentem, non curauerit, anathema.

6. Tu, mi Lector, inſpice mentem Eccleſiæ veteris, quam hodieque tenemus, de vſu, fructu, & veneratione ſacrarum imaginum. Vnum in Trinitate Deum confitemur & colimus; deos & idola ethnicorum auerſamur. Sanctorum imagines nullâ ratione, ſed nec ipſos Diuos, pro diis habemus; ſed vt Dei amicos congruo honore proſequimur. Hæc patrum Traditio, hæc auita fides & religio Hæc de ſuâ cauſſâ nihil deprecatur.
Tertull. Apol.c.1. *Vnum geſtit, ne ignorata damnetur... Ceterùm inauditam ſi damnent: præter inuidiam iniquitatis, etiam ſuſpicionem merebuntur alicuius conſcientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non poßint.* Attamen, velint nolint Catholici, quia Sanctos eorumque imagines
Sen.ep.91. venerantur, idololatræ ſunt. *Numquid detrimenti faceret vir bonus, iniquis rumoribus adſperſus?* Famam non extimemus ſine cauſſâ: niſi quòd rudiores abducat à vero: hanc malam

lam molitionem habet. *Interim temeritas eſt, damnare quod neſcias.*

CAPVT XI.

Virgo Mater Maria Chriſto primum exhibendi miraculum auctrix fuit: ipſa dum vixit nulla, ſed ab exceſſu plurima edidit.

1. PANGAM nunc Mariæ Dei Genitricis miracula; ſi præſcripſero, illam, quoad vixit, nulla patraſſe: ſed tamen cauſſam Chriſto fuiſſe, vt primum miraculum faceret. *In nuptiis, inquam, aqua in vinum mutationem fecit matre præſente. Illa quidem certè prima admonet, vinum deeſſe, filio præbēs occaſionem & materiam faciendi miraculum. Is autem quamuis ægrè ferre videretur, & ideò recuſare: fecit tamen ea quæ à matre ſuggerebantur, honorans omnino vt matrem; & veluti ei reddens mercedem, quòd ipſum in aluo geſtauerit. Vide autem hîc quoque Dei Matris inſignem moderationem & prudentiam. Nec enim iubet audacter, tamquam mater filio, vt faciat miraculum: ſed eum ſolummodò admonet, ídque cum quadam magnâ reuerentiâ & ſubmiſſione, & quantum ſufficeret ad ſuam declarandam voluntatem. Quid enim eſt, quod dicit filio? Vinum non habent. Nam etſi ea illum eſſe ſuum cognoſcebat filium: non ignorabat tamen eum eſſe ſuum effectorem.* Ioan. 2. 3. Sim. Met. de ortu B. Mariæ, apud Sur. 15. Aug.

Et

Et ideò ille ſimul quidem volens oſtendere, cuiuſnam eſſet mater, & ſimul etiam referre gratiam iis qui inuitauerant, prudenter ei ſuggerit miraculi effectionem.

2. Quod dixi; Dei Genitrix Maria dum vixit miracula non patrauit (ſacra Scriptura non prodit) at plurima poſt exceſſum. *Aduocatam præmiſit noſtra peregrinatio; quæ tamquam iudicis mater, & mater miſericordiæ, ſuppliciter & efficaciter ſalutis noſtræ negotia pertractabit ..... Aſcendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipſa quoque dona hominibus. Quidni daret? ſiquidem nec facultas ei deeſſe poterit, nec voluntas. Regina cælorum eſt, miſericors eſt: denique Mater eſt vnigeniti Filij Dei. Nihil enim ſic poteſt poteſtatis eius ſeu pietatis magnitudinem commendare: niſi fortè non creditur Dei filius honorare matrem; aut dubitare quis poteſt omnino in affectum charitatis tranſiſſe Mariæ viſcera, in quibus ipſa, quæ ex Deo eſt charitas, nouem menſibus corporaliter requieuit.*

Bernard. Serm. 1. de Aſſumpt. B. Mariæ.

3. *Et quid mirum, ſi Deus qui mirabilis legitur & cernitur in Sanctis ſuis, mirabilem ſe exhibeat in matre ſuâ?* * *Tale myſterium per illam patratum eſt, quale nulla prorſus lingua aut cogitatio aſſequi poteſt. Quis ergo magnam Dei Genitricis virtutem non veneretur? Si enim Chriſtus ſeruis ſuis tantam gratiam contulit, vt ſolo contactu, imò verò ſolâ corporis vmbrâ,*

Idē Ser. 1. ſuper Miſſus eſt.

*Baſil. Seleuc. Archiep. Orat. de Verbi incarnato. 2. Biblioth. Pat.

vmbrâ, ægris præſidia adferre poſſint: (nam, vt Actorum liber exponit, infirmi in plateas eiecti, vmbrâ tantùm Petri contacti, liberati à morbis euadebant. Non deerant quoque qui linteo, quo Apoſtolus Paullus corporis ſudorem exterſerat, accepto, infeſtos dæmones profligarent.) qualem vim aduerſus omne morborum genus Virgini Matri collatam fuiſſe, putandum eſt? an non multo maiorem, quàm ceteris Chriſti imperio ſubiectis? omnino res clara eſt. Ecquid mirum, ſi Sancti cùm in viuis etiamnum degebant, præpotenter operabantur; cùm terra quoque non omnem, vitâ hac mortali iam perfunctorum, vim & energiam vnà cum illis obruere potuerit? Conſtat namque ſaxa illorum corpora ita tegere, vt ipſi tum (ſi eo tamen quo par eſt modo adeantur) ſibi addictos tueri ac conſeruare non deſinant. Iam ſi talibus tanta miracula patrandi virtutem contulit Deus: qualem educationis mercedem parenti donaſſe, quantiſq; chariſmatis & donis illam exornaſſe exiſtimandus eſt? Si Petrus ob id beatus appellatus, regniq; cælorum claues ſortitus eſt, quòd Chriſtum Dei filium palàm confeſſus eſſet: quamodo ſuper omnes beata prædicanda nõ eſt, quæ illum parere promeruit, quem ille confeſſus fuerat? Si Paullus electionis vas cognominatus eſt, propterea quòd venerabile Chriſti nomen vbique terrarum circumferret & prouulgaret: qualenam vas cenſenda eſt Deipara Virgo, quæ non

Act.5.15.

Ind.19.12.

Mat.16.17

Act.9.15.

D *Manna,*

Exo. 16. 33 Ioan. 6. 53 *Manna, vt vrna illa aurea, ſed cæleſtem panem, qui fidelibus in cibum & potum exhibetur, vtero complexa eſt?* *Aug. Ser. 38. 10. 10. in append. * *Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, poſſe plus omnibus liberatis impendere ſuffragium.*

Ioan. Damaſ. Orat. 2. de aſſūp. B. Mariæ. 4. Mox ab eius exceſſu, nullâ interpoſitâ morâ, *qui ſanctiſſimo ac ſacerrimo corpori aſtabant, cum timore ac deſiderio, & exultationis lacrymis, diuinum illud ac beatiſſimum tabernaculum in orbem cingentes complectebantur, & exoſculabantur, nullúmque non membrum corpori admouebant: atque ex ipſius contactu ſanctitate & benedictione perfundebantur. Tum igitur & morbi fugam capeſſebant, & dæmonum cateruæ pellebantur, atque ad ſubterraneas partes vndique exigebantur: & aër & æther ac cælum aſcendente ſpiritu ſanctitatem contrahebãt, quemadmodum & terra per corporis ipſius inhumationem. Quin ne aquarũ quidem natura benedictionis expers fuit: abluebatur enim aquâ purâ: non quò ipſum purgaretur, ſed quò eam potiùs purgaret. Atque hîc ſurdis auditus, claudis pedum firmitas reſtituebatur, cæcis viſus inſtaurabatur, peccatoribus cum fide accedentibus ſyngraphæ lacerabantur.*

5. Et hoc quoque memoriæ proditum eſt, cùm ſanctiſſimum illius corpus Apoſtolorum manibus efferretur ſepeliendum in Gethſemani, atque *ad montis crepidinem veniſſent,* Ibid. *qui Genitricis Dei corpus geſtabant: Hebræum*

quem-

quemdam peccati ſeruum, atque cum errore velut fœdere deuinctum, ſeruum illum Caiphæ, qui in Dominicam Chriſti faciem colaphum impegerat, imitantem, diabolíque organum effectum, temerario quodam ac præcipiti & diabolico impetu concitatum, ad diuiniſsimum illud tabernaculum (ad quod Angeli non ſine metu accedebant) ſeſe contuliſſe; acceptumq́; vtraque manu lectum veſanè ac furioſè in terram detraxiſſe; id quod nimirum inuidi illius, ac malorum auctoris ſpiritus afflatu faciebat. Verùm laborum ſuorum fructum ſtatim tulit, acerbamq́; vuam animi ſui inſtituto dignam collegit. Orbatum enim eum manibus prædicant: ac cernere erat eum, qui ſuis manibus hoc facinus perpetrarat, confeſtim manibus carentem, quoad mentem ſuam ad fidem ac pœnitentiam immutaſſet. Protinus enim iĳ, qui grabatum gerebant, ſteterunt: ac miſer ille qui manus amiſerat, incolumitatem rurſus conſecutus eſt. Calamitas enim prudentia & ſalutaria conſilia vt plurimùm parere conſueuit.

6. *Maria eſt hominibus pons ad Deum, ſpes eorum qui ſpem abiecerunt, refugium eorum qui ſunt vexati; quæ humanæ naturæ ſuſtulit maledictum. Vera porta, quam peccatores pulſamus, & ſæpè aperitur; & offert preces noſtras Deo noſtro, qui ex ipsâ natus eſt, & accipit peccatorum noſtrorum remiſſionem.* Sim. Metaph. Orat. in pœnit. Theophili Oecon. apud Sur. 4. Febr.

CAPVT XII.

Nonnulla miracula ſuperioris æui, à Diuæ Virginis imaginibus. Puniti iniurioſi & impij.

1. TEMPORVM priſcorum pauca miracula, à D. Virginis imaginibus variis, nunc recenſeo. Atque iſta dum credimus, hodierna non reiiciemus. Porrò nulla recipient, qui opinione laborant erroris, à Religione Catholicâ deuiantis.[a] *Qui miracula non credunt, hoſtes Eccleſiæ ſe declarant.* Nec mirum: [b]*Scit ſe peregrinam in terris agere, inter extraneos facilè inimicos inuenire.* Sed tamen vt illam aſſerat, [c]*ſignis quoque Deus pietatem confirmat:* aduerſus quam magno ſuo malo iſti animum obſtinant. Voueo, vt noſtra admiranda cùm legunt, dum audiunt, ſentiant non eſſe rationi contraria, non à potentiâ & voluntate Dei aliena. Ita fiet, vt quotquot nunc perſequuntur nos furore ex errore, aliquando fauore proſequantur ex verâ fide.

[a] Guitmūd. lib. 3. de Sac. Euch.

[b] Tertull. Apol. c. 1.

[c] Gre. Naz. Orat. in funere frat.

2. *Miraculum voco, quicquid arduū aut inſolitū ſupra ſpem vel facultatē mirantis apparet:* vt cùm ſupra naturæ vires cæcus viſum, claudus greſſum, infirmus valetudinem, mortuus vitam recuperat. Hæc talia Chriſtus Saluator in mundo fecit; & Apoſtolis, eorumque prædica-

Aug. de vtilit. cred. c. 16. tom. 6.

dicatione credentibus,facultatem exhibendi dedit: *Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Id genus prodigia ad Diuorum exhiberi imagines, dubitare non poteſt, qui credit, aſpectu æneì ſerpentis, in deſerto, & quidem ad crucem à Moſe ſuſpenſi, à ſerpentibus ignitis ictos mirabiliter ſanatos eſſe. *Fecit Moſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Nota, nota. Percuſſi à ſerpentibus, niſi æneum ſerpentem adſpexiſſent, moriebantur. *O inſania fremētium contra fidem & religionem Chriſtianam! vt aſſerant non colere aut venerari imagines, in quibus figuræ ſunt Saluatoris, eius Genitricis, vel Sanctorum; quorum virtute ſubſiſtit orbis, atque potitur humanum genus ſalutem! Aenei ſerpentis inſpectione credimus Iſraëliticum populum à calamitate iniectâ liberatum: Chriſti Dei noſtri & Sanctorum effigies aſpicientes atque venerantes dubitamus ſaluari? Abſit talium nefariæ temeritatis cedere amentiæ. Patrum priſcas ſequamur traditiones; & ab earum doctrinâ, nullâ declinemus ratione. Poſſumus enim ita tenentes, quemadmodum noſtri præceſſores atque patres eorum plenam gratiam obtinere.*

Marci 16. 17.

Iuſtinus Mart. Or. ad Antou. pro Chriſtian.

Num. 21. 9

Adria. PP. de imag. ad Carol. M. c. 26. to. 3. Conc.

3. Corporis vmbra, hominis eſt obſcura

imago:atque ex vmbris ars picturæ ſumpſiſſe
Act.5.15. dicitur initium. Vmbra D. Petri Apoſtoli, quoſcumq; infirmos in plateis expoſitos cùm obumbraret, perſanauit ab infirmitatibus: cur negemus ab imaginibus Diuorum id genus exhiberi miſerabilibus hominibus ſanationes? Ad imaginem Chriſti Saluatoris, à muliere ſanguinis profluuio laborante factam, ignota excreſcens herba, omne genus morbo-
Cap.6.§.3 rum curauit, vt ſuprà commemoraui: quemadmodum etiam ad imaginem D. Virginis à B. Lucâ depictam, ſuperioribus temporibus ſcribuntur varia miracula proueniſſe. Quin igitur credas, æuo noſtro ad Deiparæ imagines admiranda patrari?

Epiſt. Germani Conſtantinop. Epiſc. Act.4. Synod. Nic.II. 4. *Summa autem rerum in hoc concludi poteſt, quod extra omnem controuerſiam eſt; Sanctorum imagines mirifica deſignare miracula; vt & debilibus valetudo bona per eos concilietur, ſæpéque in ſomno apparentes optima quæque nobis conſulant. Extra omnem controuerſiam eſt; Inzozopoli Piſidiæ ciuitate imago Virginis Matris intemeratæ, ex pictâ etiam manu ſuâ vnguentorum ſcaturiginem effundit: cuius ſanè miraculi plures teſtes ſunt. Hæc omnia Sancti per fidem operati ſunt in mundo, vt in Actis Apoſtolicis legimus: cuius rei etiam euidens teſtimonium eſt, vmbra veſtimentorum, & ſudaria ſanitates largientia. Quòd igitur non omnis corporis vmbra, neque qualibet ſudaria*
id

id poſſint, facilè videt is, qui, quæ fides fuerit vtriuſque erga Deum, animaduerterit; vt qui eiuſcemodi gratiam per inanimata illa indicauerit. Quamobrem credendum eſt, & per imagines quoque talia à Deo deſignari: non per quaſlibet tamen picturas aut imaginum ſpecies eiuſmodi fiunt, ſed Sanctorum effigies repræſentantium tantùm, aut Ieſu Chriſti. Neque etiam ob huiuſmodi curationes, ſpontaneas eſſe credendum eſt, ſed tantummodò ex Dei gratiâ. Nec tantùm curationes miſerorum ad Diuorum imagines, ſed & alia æquè admiranda proueniſſe commemoro.

5. Candela D. Virginis imagini accenſa, perenniter arſit. *Vir erat in partibus villæ quæ dicitur Sochus, milliaribus ab Hieroſolymis viginti paruis. Habebat autem ſenex in ſpeluncâ imaginem intemeratæ noſtræ Deiparæ & ſemper Virginis Mariæ; habentem in vlnis Chriſtum Deum noſtrum. Cùm autem eſſet abiturus in deſertum vaſtum, aut Hieroſolyma, adorandæ Crucis gratiâ, & ſancta loca, vel in montem Sinaï, adorandi cauſſâ, vel ad Martyres longè ab Hieruſalem diſtantes, (erat enim ſtudioſus Martyrum; nunc enim in Epheſum ad diuum Ioannem, nunc verò ad Euchaita ad ſanctum Theodorũ, vel ad ſanctam Theclam in Seleuciam, vel Saraphas ad diuum Sergium ibat) candelam parabat, eámque incendebat pro ſuo more. Et cùm accinctus ad iter preces fun-* Syn. Nic. II. Act. 5. Pratum Spirit. cap. 180.

deret, dicebat ad Dominam, totus in imaginem eius intentus; Sancta Domina Deipara, quandoquidem reſtat mihi longum iter conficiendum, candelam tuam cura, eámque inextinctam iuxta meum propoſitum ſerua. Nam ego tuo fretus ſubſidio, longum iter ingredior. Hæc autem cùm ad imaginem dixiſſet, abiit; deſtinatumq́; iter poſtquam confecit, rediit: nunc quidem intra menſem, nunc intra duos aut tres. eſt & quando quinque aut ſex menſibus abfuit: candelam tamen ſemper accenſam deprehendit & ardentem, quemadmodum eam reliquit cùm abiret; neque tamen vmquam eam à ſe extinctam potuit deprehendere, ſiue de ſomno excitatus eſſet, ſiue ex eremo ad ſpeluncam rediens. Obſeruandum. Orauit ſenex ad imaginem, ſed mẽs ipſius ferebatur ad prototypon. Nec idolomaniam hanc eſſe, ſed obſequium Deo gratum, illud ingẽs D. Virginis exhibitum miraculum euincit. proinde dęmoniacos eſſe illos, qui cum malo genio inſuſurrant; *Imaginem iſtam caue ampliùs adores.* Adorabat quotidie vir ſanctus, ſolitarius habitans in monte Oliuarum, *Imaginem Dominæ noſtræ Deiparæ Virginis Mariæ, geſtantem Ieſum Chriſtum.* atque cùm Deo gratum id eſſet, malò dæmoni diſplicuit.

Syn. Nic. II. Act. 5.

Prat. Spir. c. 45.

6. Admirabile aliud exemplum, de cereis honori D. Virginis incenſis. *Habetur Romæ patriarchalis Eccleſia, in honorem perpetuæ Virgi-*

Virginis Matris Domini conſecrata, quæ vulgari ſermone Sancta Maria Muor vocatur. ..... Ibi quàm inauditum miraculum non ſolùm ſemel contigit, ſed etiam multo tempore annuatim in feſto Aſſumptionis V. Mariæ prouenit. Mos eſt Romanorum, feſtum Aſſumptionis Matris Domini inter vniuerſas anni feſtiuitates præcipuo honore colere, ſpeciali deuotione venerari. Vnde eſt, quòd inter plura deuoti animi ſui erga præcelſam Virginem ſigna, cereos maximos faciunt; & eos antè paratos, Vigiliâ feſtiuitatis ad nominatam Eccleſiam deferunt, atque veſpertinâ horâ, vel circà, accendunt. Pondus tamen eorum æquâ lance penſatum domini retinent: vt ſequenti die, ſollemni Miſſâ peractâ, eos rurſum penſantes, quãtum de quantitate eorum ignis abſumpſerit, indicante ſtaterâ cognoſcere valeant. Manent ergo Romanorum cerei à veſpertinis, vt dixi, horis, vſque ad ſequentis diei ſextam vel nonam horam in Eccleſiâ Matris Domini, ad honorem vtriuſque accenſi; & feſtiuis Miſſæ ſollemniis conſummatis, ſinguli à propriis dominis ab Eccleſiâ reportantur. Referens quiſque cereum ſuum, mox vt domum peruenit, geminas lances præparat; imponit vni cereum, alteri pondus heſternum. Attendit diligens inſpector, quantum de cerei priùs appenſâ quãtitate poſſit deeſſe: & veſpertinas, nocturnas diurnáſque horas, quibus continuè cereus arſit, numerans, expectat quid ſibi de

Pet. Clun. lib. 2. de mirac. c. 30

imminutione primi ponderis ſtatera renuntiet. Et ecce (mirabile dictu) nihil minus, quantum ad pondus pertinet, poſt tam prolixam cerei ſui exuſtionem, ſollicitus ille appenſor & ſpectator inuenit, ſed quaſi nihil conſumptum ſit, totum quod Deo & eius Virgini Matri deuotus incenderat, ſe accepiſſe miratur. Hoc tam nobile, & antè nuſquam auditum miraculum, ad commendandum mortalibus gloriam Matris Domini, non in quolibet ignoto vel humili loco, non in qualibet vel quantalibet ciuitate, ſed in ipsâ vrbe orbis capite, nõ ſemel tantùm, ſed aſſiduè recurſu annuo, diuina pietas & potentia operatur. Facit hoc, vt & frequentia miraculi augeat admirationem, ædificet fidem, accendat charitatem: & locus tam celebris nulli patiatur eſſe occultum, quod cæleſtis prouidentia, tam famoſi loci occaſione pluribus, ne dicam omnibus, fieri voluit manifeſtum. Teſtatur Petrus Cluniacenſis id miraculum *duraſſe per centum & eo ampliùs annos, vſque ad ſuam ætatem.*

Car. Sigõ. lib. 4. de reg. Italiæ Lud. Pio cum Lothario F.

7. *In opido lacus Comenſis Grabadonâ, imago ſanctæ Virginis puerum Ieſum gremio continens, ac Magos munera offerentes excipiens, in abſide ædis S. Ioannis Baptiſtæ depicta, ſed nimiâ iam vetuſtate obſoleſcens; tantâ claritate per duorum dierum ſpatium fulſit, vt ſplendorem nouæ picturæ, omnium ſpectantium iudicio ſuperaret; Magorum tamen imaginibus in priſtinâ obſcuritate remanentibus.*

8. *Ioan-*

8. *Ioannes Comnenus Imperator* Conſtantinopolitanus inſignem pietatem ſuam teſtatus eſt, aduerſus Scythas prœlians. *Nam cùm Romanæ phalanges vrgentibus hoſtibus, & audaciùs ſe inferentibus, laborarent: imaginem Dei Genitricis cum gemitu & miſerabilibus geſtibus intuens, lacrymas bellicis ſudoribus calidiores fundebat. Neque id fruſtrà: ſtatim enim cæleſti robore armatus, Scythicam aciem profligat; quemadmodum olim Moyſes extenſione manuum Amalechiticas turmas diſſipauit.* Nicetas Choniates Ioan: Cōneno. Exo. 17.11

9. *Andronicus Palæologus ſenior* Imperator Græcorum in palatio ſuo ab Andronico nepote circumſeſſus, atque *omni ope deſtitutus ducum atque militum (Palatium enim, cubiculi miniſtris adoleſcentibus exceptis, deſertum prorſus erat) ad ſacram imaginem Dei Genitricis Hodogetriæ confugit, ante multos dies in Palatium tranſlatam, quæ ei firmo ſolatio erat. Hac igitur fretus, & humi proſtratus, ardenter cum lacrymis obteſtatur, ne periclitantem deſerat, & ſicariorum enſibus obiiciat. Exaudiuit preces eius, & feſtinum tulit auxilium, quæ quiduis poteſt caſtiſſima Dei Genitrix. ... Andronicus Iunior Palatium ingreditur: ac primùm, venerabili Dei Genitricis imagine, vt decet, adoratâ; deinde auum illi inhærentem, abductum ſalutauit, amplexus eſt, & blandis verbis recreauit.* Niceph. Gregoras lib. 9. Hiſt. Rom. vbi de Conſtantinop. proditione.

10. *Michaël Imperator Græcorum Theophili*

Georgius Cedrenus Manuele Imp.

phili F. vt imagines Diuorum in templis, vnde iam diu fuerant exturbatæ, reſtitueret, hanc habuit cauſſam. *Inciderat in grauiſſimum morbum, adeò quidem, vt omnium medicorum arte defatigatâ, iam de vitâ eius deſperaretur. Eum acceſſere quidam pij monachi ex Studij collegio, quibus nuntiatum fuerat eſſe mortuum. cúmque ad lectum aggreſſi, viuere adhuc & ſpirare ſenſiſſent, lætum ei de vitâ ſeruandâ priſtinaq; ſanitate recuperandâ nuntium prædicauerunt. Cùm autem initiò diffideret, tamen inſtantibus diuinis iſtis hominibus, prohibentibuſq; ipſum dubitare de dono Dei, & gloriâ ipſius patefactâ, paullulùm ſe ex morbo colligens, tenui ac imbecillâ voce; Quomodo, inquit, diuini patres, hoc mihi contingat? cuius & animæ facultates defecerunt, & corpus omnino confectum exaruit; ita vt totus exſiccatus, ſolis reliquis oſſibus iaceam: eóque tantùm à cadauere differam, quòd ſpiritum duco. quâ ergo ſpe adducar, vt credam me vires recepturum, ac priſtinæ valetudini reſtitutum iri? Reſpondere monachi: Deum nihil non poſſe. Quòd ſi ergo ſanitate receptâ operam ſit daturus, vt incendium à ſimulachriperdis excitatum reſtinguat, ſacraſq; imagines, ſecundùm vetera maiorum decreta, reſtituat; ſe ei vitam certò promittere: atque hæc fati diſceſſerunt. Statim verò & morbus remiſit, & naturales facultates omni impedimento ſunt liberatæ: breuiq; temporis ſpatio,*

infir-

infirmitate prorſus eſt ſolutus Manuelus. Sic ergo alleuato corpore, ſtatim equo ad Palatium it: ingreſſúſque ad Imperatricem Theodoram ſuam matrem, eam ſummopere ad reponenda ſacra ſimulachra exhortatus, in tempore repoſuit.

11. Iconoclaſtæ D. Virginis imaginem deiicere non potuerunt. *Antuerpiæ celeberrimo totius Belgij opido, cùm iconomachi anno* ∞. IϽLXVI. *ac deinceps Eccleſias paſſim vaſtarent, in monaſterio Franciſcanorum, eodem furore debacchati ſunt. Cumq́; altaria, imagines & ſtatuas vniuerſas eſſent demoliti: progreſſi ſunt ad imaginem B. Virginis Deiparæ, amictam Sole, & Lunam ſub pedibus habentem, ex laqueari Eccleſiæ dependentem. hanc verò nullâ vi, nec arte, quantumcumq; fatigarentur, luxare, nedum deturbare potuerunt, inuictâ illâ & immotâ, inuitis omnibus iſtis, perdurante, & de furore hoſtium ſuorum triumphante. Ipſi* (inquit Bredenbacchius) *nos eamdem imaginem, eodem in loco etiam pendentem paullò pòſt conſpeximus. Non haberent homines iſti in Chriſti & Sanctorum eius venerandas imagines poteſtatem vel minimam, niſi data illis eſſet deſuper. Qui legem poſuit aquis, ne tranſeant fines ſuos: idem & eiuſmodi hominum rabiem vel minimo nutu coërcere poteſt; & ſæpenumerò vel miraculosè coërcet, vel exertam in ſe ſuóſque Sanctos rabiem, cùm acceperit*

Tilm. Bredenb. l. 5. Collat. ſac. c. 23.

perit

perit tempus, ſeueriſſimè vindicat. cuius rei exemplum memorabile ſubiungo, ex relatione Conſtantij Epiſcopi Conſtantiæ Cypri.

Syn. Nic. II. Act. 4. 12. *Vir quiſpiam Cyprius in Conſtantiâ vrbe armentarius, in ſacellum Deiparæ Virginis orandi cauſſâ conceſſit. & inter orandum ſuſpiciens, imaginem Virginis ex coloribus in pariete expreſſam animaduertit, aitq́; Quorſum hæc? Et ſtimulo quo boues agebat ſublato, imagini dextrum oculũ exſculpſit. Egreſſus autem templum, cùm pecus pungeret, ſtimulus fractus eſt: parſq́; ea cui ferrum infixum eſt, in hominem delapſa, in oculum illius dextrum infixa eſt. Hunc ego virum vidi,* ſcribit memoratus Epiſcopus, *& vnoculum eſſe etiamnum cognoſco.*

Euag. lib. 5 Eccleſiaſt. hiſt. c. 18. 13. Impium quemdam imago Deiparæ eſt auerſata. *Anatolius quidam, vir primùm quidem plebeius & mollis, poſteà verò ad magiſtratus & alia munera obeunda, ſubdolè, neſcio quo modo arrepſit, & Antiochiæ ætatem traduxit; quo in loco, res quas habebat in manibus, ſedulò exſecutus eſt. Vnde cum Gregorio eius vrbis Epiſcopo maximam conflauit familiaritatem: perſæpeq́; illum adiit, partim gratiâ de negotiis ſuis colloquendi, partim vt maiorem auctoritatem ex crebrâ eius conſuetudine ſibi conciliaret. Iſte Anatolius hoſtias ſimulachris immolaſſe fortè deprehenſus eſt: qui cùm vocaretur in quæſtionem, homo impius, præſtigiator, & infinitis inuolutus ſceleribus repertus fuit:*

& ta-

& tamen parum aberat, quin & ipſe, & ſui omnes (habuit namque alios ſui ſimiles, qui idolis itidem ſacrificaſſe manifeſtò tenebantur) liberi dimiſſi fuiſſent; niſi populus, excitato tumultu, omnia turbis ita miſcuiſſet, vt conſilium de illis impiis initum, eo pacto diremptum eſſet. Quinetiam contra Gregorium Epiſcopum clamores tolluntur; eum conſilij Anatolij participem fuiſſe palàm prædicatur. Porrò autem execrabilis dæmon, humanæ vitæ perturbator, nonnullos induxerat, vt victimis immolandis cum Anatolio ſe ſocios adiungerent. Hinc Gregorius in maximum venit diſcrimen, populo eum grauiſſimè exagitante inſectantéque. Hinc etiam tam vehemens in illum mouebatur ſuſpicio, vt Imperator ipſe Tiberius coràm, ex ore Anatolij, rei veritatem expiſcari laboraret. Mandatum igitur dat, vt Anatolius, & ſui omnes Conſtantinopolim quàm celerrimè aduentarent. Quibus rebus cognitis, ad imaginem quamdam Mariæ Deiparæ, funẽ in carcere ſublimem appenſam, accurrens, manibus à tergo complicatis, ſe ei ſupplicare, preceſq́; adhibere oſtendit. Illa autem eum velut ſacrilegum deteſtata, & vt Deo inuiſum coarguens, penitus abs ſe auertit. ſpectaculum planè horribile, & ſempiternæ memoriæ prodendum. Quod quidem à præſidiariis militibus, & ab his, quibus illius cuſtodia commiſſa fuit, viſum eſt, & ab iiſdem omnibus aliis diuulgatum. Apparuit item Deipara reipsâ non-

nonnullis aliis fidelibus, eóſque contra ſceleſtum illum incitauit inquiens; Anatolium Filium ſuum contumeliis afficere..... Quinetiam vir illuſtris, qui Imperatoris Palatio præfuit, quíque partes Anatolij acriter admodum tuebatur, dixerat quoque ſe vidiſſe Deiparam Mariam, eámque ſic locutam; Quouſque defendis cauſſam Anatolij, qui tum me, tum Filium meum tantis onerat contumeliis?

14. Addo exemplum terribile conuitiatorum atque blaſphematorum Deiparæ Virginis, punitorum grauiſſimè. Mauritio Imperatore, *Græci quidam ſiue Gentiles in cuiuſdam domo conuiuantes, & vino ſeſe inuitantes, poſt prandium ſimulatque ſatis adbiberant, blaſphemare & conuitiis proſcindere Verbi Matrem cœpere; poſtremum hoc compotationi adhibentes ſtudium, vt quæcumque aliquis eorum excogitare poſſit abſurda atque indigna, per ea ridens œconomiæ & diſpenſationis ſalutis noſtræ myſterio illuderet. Impietas ea poſtquam innotuit, illi quidem condignas petulantis linguæ pœnas dedêre. Ædium autem, in quibus conſidentes graui blaſphemiæ indulſerant, dominus, à ſacris noſtris non alienus, tum quidem, quòd res ita tulerit, periculum effugit. Non multò verò pòſt, noctu ei dormienti in ſomnis Dei Genitrix aſtitit: cui diligentiùs, Ecquid ſe, quænam eſſet, noſſet, percontanti; poſtquam ipſe noſſe ſe eam profeſſus eſt: illa ei contumeliarum indignitatem in me-*

Niceph. Callıſt. lib. 18. hiſt. Eccleſ. c. 33. Georgius Cedrenus, Mauritio Imp.

in memoriam reuocauit. Tum ille miſer ſupplex ei eſſe, veniamq́ delicti petere: & ne tam citò morte mulctaretur, ſed tempus ei pœnitentiæ relinqueretur, orare. Illa daturam ſe hoc ei, neque in præſentiâ ipſum ita morte pœnas luiturum, promittere. Vimine autem, quod manu geſtare videbatur, genua eius circumcirca veluti exarans circumſcribere. Id vbi factum, auolans ei poſteà non apparuit. At ille ſomno diſcuſſo, membra ea quæ vimine notata fuerant, ſtatim ab reliquo corpore diſrupta inuenit, recenti ſanguine profluente. Et in publicum productus, iuſtum omnibus iudicium promulgauit. Qui verò id audierunt, laudes Deo propter tam inopinatum miraculum cantarunt: Matrem Dei itidem celebrarunt, quæ ita ſemper Chriſtianorum genus tueretur; quæq́ nouo quodam modo affectionem erga nos ſuam (quamuis præter naturam ſuam ſit, vt quemquam puniat) vi quadam adacta oſtenderet: vt ſcilicet Religio nobis ſtabilis & firma eſſet.

15. Nec eſt, quin adſcribam, quod factum retulit Pater Gerardus à Montenaken, inſtituti noſtri Sacerdos in conuentu VVeertenſi. Antonius à Laenen, vulgò dictus Scheelen Toents, eques alæ Hollandorum, quę cum ceteris ad Aſpricollem D. Virginis aduolauit, eius Sacellum exſpoliatum; quod etſi non impunè, tamen fecerunt. Antonius ſanctè adfirmauit, iam iam ſententiâ capitali crurifragio

à Senatu VVeertenſi addictus; ſe audiſſe equitem aliquem è commilitonibus (cùm ædiculæ appropinquaſſet) equo cæco inſidentem, blaſphemaſſe Beatam Mariam in hęc verba; Túne illa es, quæ homines iuuas, quæ cæcis viſum reddis? Fac vt meus cæcus equus videat. Dixerat impius: & ſubitò cæcus equus videns factus eſt, ipſe blaſphemus cæcus, manu duci vt debuerit. Hunc excæcatum ſe vidiſſe poſteà, & audiſſe hæc eadem referentem, Antonius publicè confeſſus eſt, coram opidi Prætore, Conſulibus, Senatu & frequente populo VVeertenſi. In fidem rei Senatus inſtrumentum, vrbis publico ſigno confirmatum habeo, & adſeruo.

Atque ita, vt ex his benè multis exemplis condiſcere licet, quod bonus auctor, non nuper, ſed ante circiter quingentos annos ſcripſit, *Non ſolùm Matris iniuriam Chriſtus vindicat in operibus malis, ſed etiam in verbis contumelioſis.*

Cæſ. Heiſterb. lib. 7. illuſt. mirac. c. 43.

Capvt XIII.

De Supplicationibus Eccleſiaſticis, quæ ex cærimoniis veteris Legis celebrantur.

I. Miracvla Diuæ Virginis imaginum ex veterioribus Patribus iſta conduxi: vt aſtruam priſcum piumque Catholi-

cholicorum ritum, Chriſti Saluatoris, Diuorumque, maximè verò Virginis Matris icones in publicis proceſſionibus circumferendi: quod pari ratione comprobabo ex antiquitate venerandâ, cùm priùs nonnulla prælibauero de Supplicationibus Catholicorum, quas haberi frequentiſſimas,habitaſque, quà mundus Chriſtianus fuit, totus orbis teſtis eſt.

2. Chriſtiani Proceſſiones vocant, quas Ethnici Supplicationes. Arbitrantur nonnulli Tertullianum de his ſcribere: *Scio Chriſtianum per viſionem nocte caſtigatum grauiter, quòd ianuam eius, ſubitò annuntiatis gaudiis, ſerui coronaſſent. Et tamen non ipſe coronauerat, aut præceperat: nam antè proceſſerat, & regreſſus reprehenderat factum.* De idololat. c.15. *Antè proceſſerat*, inquit. Item alibi, *Si procedendum erit.* Tertul.lib. 2.ad Vxor. c.4. Vbi Beatus Rhenanus prorſus aſſerit veterem ritum publicarum proceſſionum; atque eam vocem mutuatos Chriſtianos à Gentilibus.

3. Supplicationum origines manifeſtè deducimus ex ſacris Litteris; ipſe Deus ritum procedendi inſtituit, quando Ioſuë Dei iuſſu præcepit totum exercitum Iſraëlitarum circuire vrbem Iericho. *Ioſue de nocte conſurgente, tulerunt Sacerdotes Arcam Domini; & ſeptem ex eis, ſeptem buccinas, quarum in Iubilæo vſus eſt: præcedebántque Arcam Domini ambu-* Ioſ.6.12.

lantes atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos; vulgus autem reliquum ſequebatur Arcam,& buccinis perſonabat. Circuierúntque ciuitatem ſecundo die ſemel, & reuerſi ſunt in caſtra. Sic fecerunt ſex diebus. Die autem ſeptimo diluculò conſurgentes, circuierũt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties, &c. Aduerte proceſſionem ordinatam. Sacerdotes Arcam ferunt, Sacerdotes clangentes buccinis præeunt Arcam, vt & armatus exercitus, reliquo vulgo ſubſequente. Ritus hic in noſtris Supplicationibus vt plurimùm obſeruatur.

4. Dauid Rex multo clariorem habuit proceſſionem, cùm Arcam Domini transferret à
2.Reg.6.1 Gabaa in ciuitatem ſuam. *Congregauit rurſum Dauid omnes electos ex Iſraël, triginta millia. Surrexítque Dauid & abiit,& vniuerſus populus qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent Arcam Dei, ſuper quam inuocatum eſt nomen Domini exercituum ſedentis in Cherubim ſuper eam. Et impoſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum nouum: tulerúntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem & Ahio filij Abinadab minabant plauſtrum nouum. Cúmque tuliſſent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa, cuſtodiens Arcam Dei Ahio præcedebat Arcam. Dauid autem & omnis Iſraël ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris, & tympanis & ſiſtris, & cymbalis*. Oza, quòd minùs reuerenter Arcam

cam Dei tetigiſſet, percuſſo, Dauid extimuit, diuertitq́; eam *in domum Obededom Gethæi.* Cui cùm Dominus benedixiſſet, *dixit Dauid; Ibo & reducam Arcam cum benedictione in domum meam. Abiit ergo Dauid, & adduxit Arcam Dei de domo Obededom in ciuitatem Dauid cum gaudio. & erant cum Dauid ſeptem chori, & victima vituli. Cumq́; tranſcendiſſent, qui portabant Arcam Domini, ſex paſſus; immolabat bouem & ouem & arietem: & Dauid percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totus viribus ante Dominum. Porrò Dauid erat accinctus ephod lineo. Et Dauid, & omnis domus Iſraël ducebant Arcam teſtamenti Domini in iubilo, & in clangore buccinæ.* Vides à Rege Dauid, ad Arcam deducendam, omnes proceres ad triginta millia conuocatos? item proceſſionem ordinatè ſeruatam? ſeptem choros cum Dauide laudantes Dominum, adhibitis omnis generis muſicis inſtrumentis, in iubilo & clangore buccinæ? Nos cùm ſimilia agitamus, mirum non eſt ſi irrideant iſti, quando & Michol vxor Dauid, maritum *deſpexit in corde ſuo.* Sed gratum fuiſſe Deo obſequium euincitur; quòd *Rex Dauid mox promiſſionem filij Dei ex ſuâ ſtirpe naſcituri, ſuſcipere promeruit: & coniunx, quæ eamdem illius humilitatem deſpexerat, eius ſemine fecundari non meruit, ſed perpetuæ ſterilitatis pœnas luit.* Angelomus hoc loco.

5. Salomonis exædificato templo, toto
3.Reg. 8.1 terrarum orbe magnificentiſſimo, *congregati ſunt omnes maiores natu Iſraël cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Iſraël, ad regem Salomonem in Ieruſalem, vt deferrent Arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid, id eſt, de Sion. Conueniti͂q; ad regem Salomonem vniuerſus Iſraël in menſe Ethanim, in ſolemni die, ipſe eſt menſis ſeptimus. Venerúntque cuncti ſenes de Iſraël, & tulerunt Arcam Sacerdotes, & portauerunt Arcam Domini, & Tabernaculum fœderis, & omnia vaſa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo, & ferebant ea Sacerdotes & Leuitæ. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſraël, quæ conuenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante Arcam; & immolabant oues & boues, abſque æſtimatione & numero. Et intulerunt Sacerdotes Arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum ſanctorum, ſubter alas Cherubim.* Omnium exemplo iſtorum, etiam in ſimilem modum, Eccleſiæ Sacerdotes cum populo ſupplicationes decernunt & ſeruant.

2.Eſdr.12. 27. 6. A captiuitate Babylonicâ, *in dedicatione muri Ieruſalem, requiſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis, vt adducerent eos in Ieruſalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, pſalteriis & citharis. Congregati ſunt autem filij cantorum de campeſtribus circa Ieruſalem, & de villis*

villis Nethuphati, & de domo Galgal, & de regionibus Geba & Aſmaneth: quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores in circuitu Ieruſalem. Et mundati ſunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas & murum. Aſcendere autem feci (inquit Nehemias) *principes Iuda ſuper murum: & ſtatui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram ſuper murum ad portam ſterquilinij. Et iuit poſt eos Oſaias, & mediq pars principum Iuda..... Et chorus ſecundus gratias referentium ibat ex aduerſo; & ego poſt eum: & media pars populi ſuper murũ*,&c. Nehemias ita indixit, duo vt chori Deũ laudantium, vrbem Ieroſolymorum, ſibi occurrentes, in mœnibus circuirent.

7. Conſtantinus M. imitatus hoc exemplum, Epiſcopos Synodi Nicenæ, finito contra Arium Concilio, *rogauit, vt qui tantum pertuliſſent laboris, perpaucos ſibi dies dare, & recèns fundatam Vrbem, iam tum perfectam, adire non grauarentur: vt precationibus ſuis munitiones eius & muros firmarent. Atque illi ſtatim quod petierat faciunt, Conſtantinopolim veniunt, Encænia & conſecrationis feſtum diem celebrant, incruento ſacrificio operantur, precibus votiſq; vrbem abundè proſequuntur & firmant, eamdemq; Dei Genitrici dedicant, nouam Romam, imperantemq; Conſtantinopolim cognominantes.* Niceph. Call. lib. 8. c. 26.

8. Recenſui hæc ex Inſtrumento veteris

Scripturæ, quæ in ritibus noſtris Catholici imitamur: non Ethnicos, quod tamen iſti nobis opprobrãt immerenter. Habuerunt iſti ſuas ſupplicationes, fatendum eſt: & quidem non abſimiles noſtris. Titus Liuius refert: *Senatus, quòd M. Liuius & C. Claudius Conſules, incolumi exercitu ducem hoſtium (Aſdrubalem) legioneſq́; occidiſſet, ſupplicationem in triduum decreuit, Aulus Hoſtilius Prætor pro concione edixit.* Frequens apud ipſum mentio alibi Supplicationum. Quo ritu celebratæ, rogas? An templa ſua circuierint? Tertullianus indicare videtur, cùm feminas à cultu nimio dehortatur; *Quæ vobis cauſſa ſtructiùs prodeundi, cùm remotæ ſitis ab his, quæ ad aliud indigent. Nam nec templa circuitis, nec ſpectacula poſtulatis, nec feſtos dies Gentilium noſtis.* Et nos vrbes circumimus & templa procedentes: at non ſequimur Ethnicos; abſit. ſed imitamur S. Scripturæ cærimonias; quas malus dæmon, vti ſimius vſurpans, diuinum cultum in ſe transferre conatur. *Diabolus ipſas quoque res Sacramentorum diuinorum, in idolorum myſteriis æmulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos. Expiationem delictorum de lauacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithræ: ſignat illic in frontibus milites ſuos. celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid? quòd & ſummum ponti-*

Dec. 3. lib. 8.

De cultu fem. c. 11.

Tertul. de Præſ. c. 40.

pontificem in vnis nuptiis ſtatuit? Habet & virgines? habet & continentes? Ceterùm ſi Numæ Pompilij ſuperſtitiones reuoluamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, & priuilegia, ſi ſacrificalia miniſteria & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum & votorum curioſitates conſideremus: nónne manifeſtè diabolus moroſitatem illam Iudaicæ legis imitatus eſt? Non imitamur ritus Gentilium: ſed ex diuinis legibus ſumptos, ex Apoſtolicâ Traditione ſeruamus. Quamuis nõ videam, cur non liceat, quæ apud Ethnicos impiè agitantur, & profano cultu, eadem expiata ad cultum veri Dei transferre: quomodo Ægyptiorum diuitiæ tranſierunt in honeſtamentum Tabernaculi Domini.

CAPVT XIV.

Supplicationum Eccleſiaſticarum origines demonſtrantur etiam ex nouo Teſtamento, & varia ſchemata.

I. RITVS igitur atque cærimonias Supplicationum noſtrarum ex Lege vetere comprobauimus: quas itidẽ aſſerere ex ſanctis Euangeliis, difficile non fuerit. Die, quam Eccleſia palmarum vocat; *turba multa quæ venerat ad diem feſtum, cùm audiſſent quia Ieſus venit Ieroſolymam, acceperunt ramos palma-* Ioan. 12. 12.

 rum,

rum, & proceſſerunt obuiàm ei. D.Ioannes apertè hîc proceſſionem indicat: Matthæus
Mat.21.1. paullò vberiùs perſcribit: *Cùm appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis, & veniſſet Bethphage ad montem Oliueti*, diſcipuli duo à Chriſto miſſi *adduxerunt aſinam & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in viâ: alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in viâ. turbæ autem quæ præcedebãt, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes; Benedictus qui venit in nomine Domini: hoſanna in altiſſimis.* Proceſſio, ſi qua fit à Catholicis, *refert Iudaicum populum obuiàm Chriſto factum, & Apoſtolos exeuntes in montem, cùm Chriſtus in cælos aſcenderet.* * Et vt cantuum religioſorum ſeruitutem, non ſolùm in Lege priori, ſed & in ſequenti Euangelio Chriſtus ſibi placere monſtraret: cantantibus in templo pueris, Hoſanna filio Dauid; & inde Phariſæis indignantibus, eique dicentibus, Audis quid iſti dicunt? reprehendens æmulantium Phariſæorum indignationem, laudãs puerorum cantantium deuotionem, etiam ex Scripturâ reſpõdit: Numquid non legiſtis; Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?*

Beatus Rhenan. argum. in Tertul. 2. lib. ad vxor.

*Pet. Clu. lib. 1. epiſt. 2.

Pſal. 8. 3.

2. Producam aliquot admirandæ pietatis exempla, ab Imperatoribus Chriſtianiſſimis, in publicis Supplicationibus manifeſtè declarata. Priùs tamen paucis perſcribam ſollem-

nem

nem proceſſionem Antiochiæ celebratam, fremẽte Iuliano deſertore aduerſus Chriſtianos: *Iulianus, cùm in animo haberet bellum contra Perſas gerere, ad omnia oracula, quæ erant intra fines Imperij Romani, conſulenda, homines è ſuis ſummâ beneuolentiâ ſibi coniunctos miſit. Ille ipſe verò ſupplex Apollinem Daphnæum: vti quæ ſibi eſſent euentura oſtenderet. Reſpondet Apollo, mortuos quoſdam in proximo humatos impedimento eſſe, quo minùs daret vaticinia; eos igitur primùm inde transferendos eſſe: deinde quid futurum ſit ſe prædicturum pollicetur. Nam ſe, niſi purgato loco, nihil poſſe dicere. Eodem tempore in eo loco reliquiæ inuicti martyris Babylæ, & adoleſcentum qui vnà cum eo pro fide decertarant, repoſitæ iacuerunt. atque falſus vates apertè monſtrauit ſe gratiâ illius Martyris à conſuetis & commentitiis oraculis edendis prohibitum. Quod vbi intellexit Iulianus (nôn enim ignarus fuit virtutis, quæ in vetere pietate Martyrum reſidebat) nullum quidem corpus mortuum inde deportandum curauit: ſed imperauit Chriſtianis, vt reliquias dumtaxat inuictorũ Martyrum ex eo loco transferrent. Qui ad lucum lubentibus animis profecti, loculum in bigis collocant; omnéſque ad vnum antecedentes ſaltare, pſalmóſque Dauidicos canere cœperunt: & inter ſingula verſuum membra, hæc verba interponere; Confundantur omnes qui adorant ſculptilia. nam Martyris*

Theodor. lib. 3. Eccleſ. hiſt. c. 9.

Nota.

Pſal. 96. 7.

tyris

tyris tranſlatione dæmonem euictum exiſtimarunt. Hoc exemplo in Supplicationibus noſtris Sanctorum reliquias geſtamus, Deo publicè laudes canimus, Deum in Sanctis laudamus. Porrò, quòd iſti mortuos vocant Sanctos, qui viuunt cum Chriſto, qui Deus viuorum eſt, non mortuorum; vides non ex Euangelio eos, ſed docente diabolo didiciſſe.

Matth. 22. 32.

3. *Theodoſius* Senior piiſſimus Imperator, *contra Eugenij tyranni robuſtiſſimum exercitū magis orando quàm feriendo pugnauit*;* *præparatus ad bellum, non tam armorum telorúmque quàm ieiuniorum orationumq́; ſubſidiis, nec tam excubiarum vigiliis quàm obſecrationum pernoctatione munitus, circumibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca; ante Martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat.* Ad eumdem modum in Litaniis Catholici, Sanctorum baſilicas circumeuntes, fida Sanctorum ſuffragia poſtulant & impetrant.

Aug. lib. 5. de Ciuit. c. 26.
*Ruffin. lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 33.

4. *Arcadius Auguſtus Theodoſij F. ſacrilegus dicendus eſt, qui oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos, in ſerico & vaſe aureo portauerunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui occurrerunt ſanctis reliquiis, & tantâ lætitiâ,*

Hier. adu. Vigilant. c. 2.

tiâ, quaſi præſentem viuentémque Prophetam cernerent ſuſceperunt; vt de Palæſtinâ vſque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Chriſti laudem vnâ voce reſonarent? Videlicet adorabant Samuelem, & non Chriſtum, cuius Samuel & Leuita & Prophetes fuit.

5. *Theodoſius Imperator Arcadij F. cùm longior aliquando pluuialis tempeſtas extitiſſet, ſolitos Circenſes ludos populo, more recepto gratificans, exhibuit. Quum verò vberiores etiam deciderent imbres, ibi tum egregiam ſuam erga Deum pietatem declarauit, per præcones populo denuntiari iubens, conducibilius videlicet eſſe, vt ſpectaculo repudiato, Deum, qui præſente calamitate eos liberaret, precibus placarent; id quod confeſtim eſt factum. Litania inſtituta eſt, ſupplicantes proceſſêre, laudibus Deum vexere: atque vna concors eccleſia ciuitas tota facta; & ipſe medius hymnis canendis præiit, habitu priuato incedens. Minimè verò eum opinio fefellit. Statim enim cælum aërem turbidum ſerenitate commutauit, & frumenti non mediocrem inopiam ingens quadam frugum copia & vbertas eſt conſecuta.* Niceph. Calliſt. lib. 14. hiſt. Eccleſ. c. 3.

6. Victoriâ potitus aduerſus tyrannum Ioannem, *more ſuo rurſum, quâ eſſet erga Deum religione oſtendit. Poſtquam enim ei victoria de tyranno reportata, ludis Circenſibus renuntiata eſt; ad populum vociferans, Agite, inquit,* Ind. cap. 7.

inquit, ſi ita videtur; ludicro hoc dimiſſo, in ædẽ hanc precatoriam eamus, & carmina gratiarum agendarum auctori victoriæ Deo concinamus. Hæc vbi dixit, ſpectaculum neglectum eſt: & per circum medium euntes omnes, cõcentu vno cum hymnis & carminibus pulcherrimis gratiſſimíſque in proximam Dei domum ſunt ingreſſi: formámque prorſus Eccleſiæ vnius cuncta retulit ciuitas, populo omni, in templo diem eum conſumente.

Ind.cap. 46. 7. *Adhuc Theodoſius imperabat, & terræ motus magnus & admirandus extitit, qui priores omnes magnitudine, celeritate, & temporis diuturnitate facilè ſuperauit. Nam ad menſes ſex maximè durauit. & non ex interuallo, ſed motu continuo omnia concuſſit, ídque per orbem ferè vniuerſum: adeò vt non ſolùm in vrbe imperante turres in præceps ierint, & murus variis in locis ruptus ſit; verumetiam circa Cherſoneſum, ædificium id quod* μακρὸν τεῖχος *(hoc eſt, longum murum) vocant, ſimul omne conciderit, & innumerabilia vbique locorũ, magnorum operum, templorumq́; ædificia peſſum ierint ..... Byzantij autem in maximum coniecti metum, à ruinis ædificiorum ſibi metuentes, muros reliquerunt, & extra vrbem in campo morati ſunt, vnà cum Imperatore Theodoſio & Patriarchâ Proclo continuis precibus incumbentes; Deumq́; vt propitius eis eſſet, & ab imminenti calamitate orbem liberaret, obteſtantes. Et cùm aliquando*

quando motu eo graſſāte, terra veluti fluctuans concuteretur; & homines per metum, eam ex fundamentis ipſis extirpatum iri vererentur; & omnes Litaniis & Supplicationibus dediti collacrymarent, & ex profundo intimoq́ animo miſericordiam diuinam implorarent: tum miraculum præter exſpectationem omnium, quod ſenſum ac mentem omnem excedat, ſubſecutum eſt. Subitò namque è medio inſpectantibus omnibus, diuinâ quadam vi puer in aërem ſublimis ad cæleſtem vſque tractum, ita vt iam non appareret, ſublatus, diuinam vocem, quâ Angelis Deum laudibus ferre mos eſt, audiuit. eáque voce perceptâ, rurſum priore per aërem viâ reuerſus deſcendit: & Epiſcopo Proclo, ipſiq́ Imperatori, & multitudini omni ſupplicationibus operanti, Deumq́ hymnis celebranti, ab Angelis canentibus ſe verba hæc audiſſe renuntiauit; Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere noſtri. Quæ vbi Proclus intellexit, ſtatim ad eum modum populum pſallere iuſſit: & terræ motus ſtatim etiam conſtitit, omninoq́ conquieuit.

8. *Martianus, multâ religione ac ſanctitate vir; vt qui in Supplicationibus publicis, aliis præierit, & maximam indigentibus pecuniam præbuerit; ſi quis alius, & ipſe Chriſtianiſſimus, Imperij adminiſtrationem, veluti monumentum piæ vitæ agendæ hominibus omnibus reliquit. Eo imperante, in Romanâ ditione tran-* Niceph. Calliſt. lib. 15. hiſt. Eccleſ. c. 15.

quilla

quilla pax fuit: ita vt tum aurea exiſtimarentur eſſe ſæcula.

Gregor. Turon. lib. 3. Hiſt. Francor. 29.

9. Eodem ſæculo *Childebertus rex in Hiſpaniam abiit: quam ingreſſus cum Clothario Cæſarauguſtanam ciuitatem cum exercitu vallat atque obſidet. At ciues in tantâ humilitate ad Deum conuerſi ſunt, vt induti ciliciis, abſtinentes à cibis & poculis, cum tunicâ B. Vincentij martyris, muros ciuitatis pſallendo circuirent: mulieres quoque amictæ nigris palliis, diſſolutâ cæſarie, ſuperpoſito cinere, vt eas putares virorum funeribus deſeruire, plangendo ſequebantur: & ita totam ſpem locus ille ad Domini miſericordiam retulit, vt diceretur ibidem Niniuitarum ieiunium celebrari; nec æſtimaretur aliud poſſe fieri, niſi eorum precibus diuina miſericordia flecteretur. Hi autem qui obſidebant, neſcientes quid obſeſſi agerent, cùm viderent ſic murum circuiri, putabant eos aliquid agere maleficij. Tunc apprehenſum vnum de ciuitate ruſticum ipſi interrogant, quid hoc eſſet quod agerent: qui ait; Tunicam B. Vincentij deportant, & cum ipſâ, vt eis Dominus miſereatur, exorant. Quod illi timentes, ſe ab eâ ciuitate remouerunt.*

10. Non ſunt heſternæ Catholicorum Supplicationes, non contemnendæ Litaniæ tot Principum exemplis inductæ, auctoritate, & longâ conſuetudine firmatæ. Quamobrem laudabiliter Iuſtinianus Imperator lege publicâ

blicâ cauit; *Si quis, cùm ſacra myſteria celebrantur, in ſanctam Eccleſiam ingrediens, Epiſcopo aut Clericis, aut miniſtris aliis Eccleſiæ iniuriam inferat: iubemus hunc verbera ſuſtinere, & in exilium mitti; hoc ipſo & in Litaniis, in quibus Epiſcopi aut Clerici reperiantur, cuſtodiendo. Et ſi quidem iniuriam ſolam fecerit is: verberibus exilióque tradatur. Si verò etiam Litaniam concuſſerit: capitale periculum ſuſtinebit. & vindicare iubemus non ſolùm ciuiles, ſed etiam militares iudices*. Etiam alibi; *Si quis Litanias concuſſerit: pro iniuriâ verberatus exilio tradatur, vel capite plectatur.*

In Authẽtic. de ſanctis Epiſc.

Ind. de Epiſcop. & Clericis.

CAPVT XV.

Crucis vexilla ritu priſco, ritu noſtro, fructuosè in Supplicationibus præferri, adhibitis luminaribus.

1. IMPERIALI quoque lege *Laicis Litanias facere interdictum ſine Clericis, quæ ſine orationibus & Cruce fieri non debent*. De hoc pio priſcoque ritu nunc etiam agendum erit. *Cruces & vexilla ſunt inſignia victoriæ Chriſti.* Hæc vos *inimici Crucis Chriſti*, profundiſſimo in Religionem odio, non fertis, confringitis, comburitis. *Receſſiſtis, Crucem negando, à Deo ſalutari veſtro:*

Iuſtinian. in Auth. C. de Epiſc. & Cler.

Rupert. lib. 7. di. off. c. 20.

F *à quo*

Pet. Clun. lib. 1. Epiſt. 2. vbi de Cruce.

à quo nullo pacto ſalutem conſequi poterit, quiſquis Crucem, in quâ maximè ſalus eſt conſtituta, contempſerit. Credo aſtu hæretico hoc vos conſilium inueniſſe: imò nequitiæ principem per proprios vernulas fallaciæ ſuæ optimè prouidiſſe; vt hoc vno iaculo ſi vulnus incautis infligere poſſet, leui negotio non tantùm ſoſpitatem, ſed & vitam auferre valeret. Nam ſublato de medio Crucis nomine; vbi Crucifixi mentio remanebit? Subtracto Crucifixi vocabulo; vbi mortis vel paſsionis recordatio permanebit? Ablatâ mortis vel paſſionis memoriâ; quæ redemptis ſpes ſalutis, euacuato redemptionis pretio, ſupererit? Sed noui vos dolere vices ſociorum, & homines hæreticos dæmonum iniurias velle vlciſci. Fugantur apoſtatæ ſpiritus, apparente Crucis ſigno; & ſuperbi angeli, qui contra ipſam inuictam maieſtatem caput erigere niſi ſunt, iſto, quod ſic contemnitis, abiectionis indicio, vt nebula matutini Solis radiis diſcuſſa vaneſcunt. Hac vos permoti iniuriâ, iurata contra Crucem Domini bella ſuſcepiſtis; & homines nequiores dæmonibus, eorum pati dedecora non poteſtis. Non poteſtis certè quod odiunt diligere: quibus & in hac vitâ mores, & in futurâ ignes, nihil aduerſum, nihil diuerſum eſſe deſignant. Moribus ergo modernis & ignibus æternis concors parilitas, nihil nos mirari facit, ſi & quod volunt vultis, & quod nolunt reſpuitis. Sed quos minamur ignes, forſitan vos non terrent: quoniam,

niam, iuxta Iſaiam, pepigiſtis fœdus cum morte, & cum inferno feciſtis pactum. At, ſecundùm eumdem, fœdus veſtrum cum morte diſsipabitur, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit ..... Fiet lignum vitæ vobis lignum mortis: vt quos ſemel de eiuſdem ſacri ligni fruſtis ſuccendiſtis focos, vobis perpetui perſeuerent: & ſicut ipſis vos immortales, ſic illi vobis inextinguibiles permanebunt. Iſa.28.15. Ind. 28.

2. Sed licet aduerſum Chriſtum & Crucem ſerpens ſua ſibila ſpiret, & quibus diu tumet venena profundat: intrepidi confitemur, nos Crucis trophæa Supplicationibus præferre, in memoriam Chriſti; de quo Apoſtolus: *Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum.* * *Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum.* Crucem præferimus, vt illud Chriſti recolamus; *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Crucem ſuam exemplo Chriſti tollentibus, Chriſtum ſequentibus, hoc ritu regnum cælorum promittitur. Ioã.19.17 *Luc.23.27. Mat.16.24

En, ſigno ſacrata Crucis vexilla coruſcant. Sedul. lib. 1. Carm. Paſch.
En, Regis pia caſtra micant, tuba clamat herilis:
Militibus ſua porta patet: qui militat, intret.
Ianua vos æterna vocat, quæ ianua Chriſtus.
Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ.

 3. Ante

3. Ante Conſtantini M tempora, Chriſti
Crucíſque factas imagines ſcimus: ſed vt ſi-
gnum Crucis Chriſti præferatur procedenti-
bus, inualuiſſe videtur auctore Conſtantino,
partâ victoriâ contra tyrannum Maxentium.
Imperatori Conſtantino bellum mouenti
Zonaras aduerſus Maxentium, *ambigenti & animo*
Conſtant. *anxio, figura ei Crucis mediâ die. ſtellis effecta*
Euſebius Cæſar. 1. *apparuit in cælo, & ſcriptura circa eam Roma-*
de Vitâ *nis litteris, In hoc vince. Igitur ex auro ſtatim*
Conſt. 22. *ſubitario opere efformans Crucem, iuxta ſpe-*
ciem quæ ei apparuiſſet, & hanc iubens prægredi
exercitum, cum Maxentianis prælium commi-
Ind. c. 25. *ſit, & ſuperauit.* Erat autem tali formâ. *Haſtile*
oblongum erectumq; auro vndique obductum
fuit, quod cornu habuit tranſuerſum ad for-
mam crucis conſtructum. Suprà in faſtigio
ipſius operis, corona affixa, lapidibus pretioſis
& auro politè circumtexta. In eâ ſalutaris ap-
pellationis Seruatoris nota inſcripta, duobus
ſolùm expreſſa elementis, id eſt, duabus primis
litteris nominis Chriſti, (erat enim littera P.
in ipſo medio litteræ X. *curioſè & ſubtiliter*
inſerta) quæ totum Chriſti nomen perſpicuè
ſignificauit. quas quidem litteras deinceps Im-
perator in galeâ geſtare conſueuit ..... Iſto
igitur ſalutari ſigno Imperator, tamquam hoſti-
lis cuiuſque & infeſtæ violentiæ propugnaculo
ſemper vſus eſt: cuius expreſſæ ſimilitudines,
mandauit, vt vniuerſum exercitum perpetuò
ante-

*antecederent . * Præterea etiam in ipſis armis ſalutaris trophæi ☧ ſignum inſculpi armatóque exercitui præferri fecit: & vt ſolùm hoc ſalutare trophæum, non vllam, vt antè conſueuerant, inauratam ſtatuam ſequerentur.* *Ind. lib. 4 c. 21.

Scito Crucem inſitam ſignis duplici modo; *In vexillorum purpurâ, gemmis intextam & expreſſam: iterùm in haſtarum vertice ſuperſtantem ſolido auro formatam. Sed in Labaro maximè ea conſpicua. de quo Prudentius;* Lipſ. 3. de Cruce. c. 15.

Chriſtus purpureũ gemmanti textus in auro
Signabat Labarum. Contra Sym.

4. Imperator igitur conſequutus victoriam, *Deum celebrando canens, & voce clariore triumphanda iubilans, vrbem Romanam eſt ingreſſus, ciuibus omnibus hilaritate & lætitiâ ſummâ animis eorum exultantibus, cum plauſu felicíque omine, & acclamatione, eum tamquam ſeruatorem & liberatorem ſuum, victoriæ trophæum ferentem, producentibus atque excipientibus. Conſtantinus autem veram erga Deum pietatem à naturâ ſibi quodammodò inſitam habens, nequaquam applauſu tali commotus; vt qui à Deo ſecundum rerum ſuarum ſucceſſum proueniſſe ſciret; ſtatim Crucis ſignum in ſublimi loco ſtatui iuſſit. Nec mora interpoſita eſt: ſtatua ad formam ſimilitudinem eius ex ære fabrefacta eſt, quæ dextrâ manu, ex eâdem materiâ, Crucis ſignũ elaboratum teneret. Eam ſtatuam, Crucem ita magnifico lætóque habitu tenentem,* Niceph. Call. 7. Eccleſ. hiſt. c. 30.

Romæ in loco maximè celebri, firmis innixam fundamentis collocari præcepit, cum huiuſmodi inſcriptione, verbis Latinis;

Euſeb. Cæſar. 9. Eccleſ. hiſt. c. 8.

HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI. ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

Paul. Diacon. lib. 11. Hiſtor. Iuliano.

5. Porrò Iulianus deſertor, iconomachorum anteſignanus, *vt ad paganitatem milites inſueſcerent, ſtuduit ad priſcum ſchema reformare ſignum illud Labarum ſublimius Romanorum, quod Conſtantinus, ſicut prædictum eſt, in Crucis formam mutauerat. In publicis imaginibus depingebat Iouem, quaſi de cælo ſibi coronam & purpuram deferentem: Mercurium & Martem in ſe reſpicientes, velut pro teſtimonio ſapientis & fortis. Et hoc agebat imaginibus, vt ſub occaſione Imperij, latenter adorarentur dij; & hoc modo ſubiecti fallerentur.* Prorſus cum eo faciunt iconoclaſtæ: vt proſcriptis imaginibus Chriſti, Diuorumque, etiam profligetur omnis memoria Chriſti: tandem, vt qui fuerant Chriſtiani, eiurato Chriſto fiant Pagani.

6. Ceterùm, viden' inuictæ Crucis trophæum diuinitus cælo victoriæ Conſtantini demonſtratum? Viden' Imperatorem in hoc

ſigno

ſigno viciſſe? triumphantem ingreſſum vrbem hoc ſignum geſtaſſe? atque celeberrimo Romæ loco ſtatuiſſe? in cunctis prælatum prœliis victoriam contuliſſe? Nos hoc exemplo proceſſionibus noſtris præferimus Cruces: quod D. Chryſoſtomus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in vſum procedente tempore magis perduxit. *Ille ipſe precationes, quæ noctu fieri conſueuerant, primus amplificauit tali cauſâ inductus. Ariani extra vrbem conuentus fecerũt. Itaque cùm feſta cuiuſque ſeptimanæ occurrebant, videlicet Sabbatum & dies Dominicus, in quibus conuentus in Eccleſiis fieri ſolent: illi intra portas ciuitatis circiter porticus in vnum congregati, cantus aptè ad opinionem Arianam reſpondentes, quos ipſi compoſuerunt, alternatim canunt; hocq́ per maiorem partem noctis faciunt. Primo diluculo tales cantilenas alternis per mediam vrbem recitantes, è portis egrediuntur; & ad loca vbi agunt conuentus, contendunt.* Socrat. lib. 6. Eccleſ. hiſt. c. 8. **Sed enim Ioannes, ne aliqui ex Eccleſiâ ſuâ eius generis cantibus demulſi ab illis ſeducerentur, ad eumdem modum contra illos pſalmodiam ſuam inſtituit. Et breui ea celebrior, quàm aduerſariorum eſſet, facta eſt: vt quæ & multitudine, & honorifico progreſſu illos ſuperaret. Nam eam cruces argenteæ cereos incenſos habentes præibant, Eudoxiâ Imperatoris coniuge impenſas ad eam rem præbente; quæ hoc Briſoni cubiculi ſui præ-* *Niceph. Call. 3. Ec. hiſt. c. 8.

fecto iniunxit, vt hymnorum cantus procuraret, & ad eum vſum, quamplurimum lucernarum pararet.

Euag lib.4 Eccl. hiſt. c.25. 7. *Miraculum quod Apameæ factum fuit, quódque huic noſtro operi eſt valdè accommodatum, commemorabo. Vt primùm Apameenſes intellexere Antiochiam igne incenſam;* (à Perſis) *Thomam Epiſcopum rogabant, vt ſalutare vitaleq́; lignum Crucis, licet conſuetudo id minimè pati videretur, in medium proferret, inq́; omnium oculis ſtatueret: quò iam cùm ſupremum vitæ diem viderentur obituri, illud contemplarentur, amplexarenturq́;, vtpote in quo ſola hominum ſalus poſita eſſet. atque adeò ad alteram vitam iam profecturi, Crucem venerandam haberet pro viatico, quæ poſſet eos ad meliorem locum incolumes peruehere. Itaque Thomas fecit quod rogatum eſt, certiſq́; diebus ad eam rem præſtitutis, vitale Crucis lignum profert, vti omnes vicini ibi in vnum conuenire poſſent, & ſalutis inde promanantis participes fierent. Eò etiam (*inquit Euágrius*) parentes mei vnà cum aliis commearunt, mêque id temporis ad ſcholam euntem ſecum duxerunt. Poſtquam verò data nobis fuit poteſtas, honoratam Crucem adorandi amplexandíque, Thomas ſublatis manibus, lignum Crucis, quo vetus peccati maledictio deleta fuit, totum Sanctuarium circumiens (vti in ſtatis adorationis diebus fieri ſolebat) omnibus oſtendit: ac Thomam*

de

de loco in locum progredientem, ingens flamma ignis ſplendeſcentis, non ardentis, ſequebatur: adeò vt totus locus, in quo conſiſtens venerandam Crucem populo oſtendebat, conflagrare videretur. Atque hoc factum eſt non ſemel aut iterùm; ſed ſæpiùs, cùm Thomas illum locum circuiret, & populus congregatus, eum, vt illud fieret, rogaret. Quæ res ſalutem, quæ poſteà Apameenſibus contigit, præſignificauit. Ob quam cauſſam imago in teſtudine Sanctuarij ſtatuta fuit, quæ inſcriptione in baſi inciſâ, hoc miraculum illis, qui eiuſdem ignari erant, commonſtrauit.

8. Deſino horum, ſi cereorum ardentium ritum in Supplicationibus, alio exemplo comprobauero, licet poſteriore. *Cùm lues inguinaria populum primæ Germaniæ deuaſtaret, atque omnes terrerentur huius cladis auditu: concurrit Rhemenſium populus ad S. Remigij ſepulchrum, congruum huius cauſſæ flagitare remedium. Accenſis cereis lychniſq; non paucis, hymnis pſalmiſq; cæleſtibus per totam excubat noctem. Mane autem facto, quid adhuc precatui deſit in tractatu rimatur: reperiunt etenim reuelante Deo, qualiter oratione præmiſſâ, adhuc maiori propugnaculo vrbis propugnacula munirentur. Adſumptâ igitur pallâ de Beati ſepulchro, componunt in modum feretri: accenſiſq; ſuper cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt vrbem cum vicis.* Greg. Tur. De glor. Conf. 79.

 nec

nec prætereunt vllum hoſpitium, quod non hac circuitione concludant. Quid plura? non poſt multos dies, fines huius ciuitatis lues adgreditur memorata. Verumtamen vſque ad eum locum accedens, quò Beati pignus acceſsit, ac ſi conſtitutum cerneret terminum, intrò ingredi non modò non eſt auſa, ſed etiam quæ in principio peruaſerat, huius virtutis repulſu reliquit.

Andreas Cretenſ. Epiſ. Hieroſ. Orat. de Crucis exalt. c. 6. apud Sur. 14. Sept.

9. Hactenus de his, & opinor, ſalutariter: quia *Crux, ſignum Dominicum, arma ſalutaria, regia potentia, victoriæ trophæum, inter ſuperna & inferna remedium, eorum qui firmiter credunt vexillum, coronis Apoſtolica, ſpecula Prophetica, Martyrum corona, eorum qui Chriſtum adorant arrha.*

Pet. Dam. apud Sur. 14. Sept.

Vnica ſpes hominũ, Crux, ô venerabile ſignũ,
Omnibus eſto ſalus, vnica ſpes hominum.
Baiula tu pretij, quod mundi debita ſoluit;
Quo meruit redimi, baiula tu pretij.
Tartara victa tuis ſpolium ceſſere triumphis:
Lugent vexillis Tartara victa tuis.
Pandis & aſtra piis, proprio quos ſtigmate ſignas:
Das requiem feſsis, pandis & aſtra piis.
Chirographũ vetiti pepigit quod cautio ligni
Diluis, & pomi chirographum vetiti.
Lux, honor, imperium, laus, gloria, doxa per æuum,
Sit tibi Trine Deus, lux, honor, imperium.

CA-

CAPVT XVI.

Nudipedalia in Proceſſionibus piè ac laudabiliter peragi; ciliciis, lineis ſolis, ſiue laneis amiculis amiciri.

1. CONSTAT multa ritè Deo in honorem fieri, licet ab illo non iuſſa: inter quæ nudipedalia recenſemus. atque hæc pios veteris tum etiam nouæ Legis exercuiſſe laudabiliter, aſſeram euidentibus argumentis. Calceos deponere pedibus, atque eos nudare, reuerentiæ ſignum eſt, vti & pœnitentiæ: Sacræ litteræ atteſtantur. Nam quòd reuerentiæ ſit, à Moyſe docemur. *Apparuit ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyſes; Vadam & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait; Moyſes, Moyſes. qui reſpondit; Adſum. At ille; Ne appropies, inquit, huc: ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Iubet nudo pede terram premere, quæ luce & præſentiâ diuinâ reſplendebat. *Per ſolutionem calceamenti demonſtrat Sancti præſentiam: & vult ipſum cognoſcere ex ipſo loco, vbi ſcilicet conſtiterit Deus, quis præſtò fuerit.*

Exod. 3.2.

Procopius Gaz. hoc loco.

2. Huic

2. Huic ſimile quod de Ioſue legimus.
Ioſ. 5. 13. *Cùm eſſet in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium: perrexitque ad eum, & ait; Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit; Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini; & nunc venio. Et adorans ait; Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt. Fecitq́ Ioſue vt ſibi fuerat imperatum.* Locus in quo *ſtabat Moyſes per ſeipſum non erat ſanctus, ſed præſentia Domini, qui erat cum eo, ſanctificauerat locum*: ſic hîc quoque nudipedalia in Dei peraguntur reuerentiam.

Iſid. Gloſſ. ordin. hoc loco.

3. Pœnitentiæ quoque eſt argumentum diſcalceari, cuius ſchema in Dauidis fugâ.
2. Reg. 15. 30. *Porrò Dauid aſcendebat cliuum oliuarum, ſcandens & flens, nudis pedibus incedens & operto capite. Sed & omnis populus qui erat cum eo, operto capite aſcendebat plorans.* Ita *humiliauit ſe Dauid, perpendens hæc omnia mala propter ſua euenire peccata.* Hinc nudipedalium vſum inualuiſſe veroſimile: cuius exordia ex lege Moyſis lubet repetere.

Dion. Rihel. hoc loco.

Num. 6. 1. 4. *Vir ſiue mulier cùm fecerint votum vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare: à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt . . . cunctis diebus, quibus ex voto Domino conſecrantur, quidquid ex vineâ eſſe poteſt, ab*

vuâ

vuâ paſſâ vſque ad acinum, non comedent. Omni tempore ſeparationis ſuæ, nouacula non tranſibit per caput eius, vſque ad completum diem quo Domino conſecratur. Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius.... Iſta eſt lex conſecrationis. Cùm dies quos ex voto decreuerat complebuntur: adducet eum Sacerdos ad oſtium Tabernaculi fœderis, & offeret oblationem eius Domino, agnum anniculum immaculatum, & ouem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hoſtiam pacificam. Caniſtrum quoque panum azymorum, qui conſperſi ſint oleo, & lagana abſque fermento vncta oleo, ac libamina ſingulorum: quæ offeret Sacerdos coram Domino, offerens ſimul caniſtrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur. Tunc radetur Nazaræus ante oſtium Tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ. &c.

5. Numerum dierum conſecrationis, & ritum nudipedalium, indicat Ioſephus Iudæus. Cùm Florus Iudææ Præſes grauiſſimè vexaret Iudæos: ſororem Herodis *Berenicem Ieroſolymis iniquitatem militum Flori videntem grauis ob hoc angor inuaſerat, & frequenter quidem præfectos equitum cuſtodéſque corporis mittens ad Florum, precabatur vt à cæde deſineret. Ille verò neque in multitudinem interſectorum, neque in nobilitatem precatricis, ſed tantùm in lucra ſua, quæ de rapinis cõgregarentur, aſpiciens, contempſit annuere: impetus autem militum etiam* Lib. 2. de bello Iud. c. 15.

aduerſus reginam efferatus eſt. Nõ ſolùm quippe ſub oculis eius obuios quoſque mutilabant àtque trucidabant: ſed etiam ipſam, niſi confugiſſet in aulam, interfeciſſent. Ibi autem peruigilem noctem cum intentâ cuſtodiâ egit, verens vtique irruptionem militum. Venerat autem Ieroſolymam, vt vota Deo ſolueret. His enim qui morbo vel aliis neceſſitatibus implicantur, mos eſt orare per triginta dies, antequam immolent hoſtias: abſtinere quoque vino, & capillos radere. Quem morem Berenice regina illis exercens diebus, nudipes etiam ante tribunal ſtetit, deprecans Florum: & præter quod nihil honoris habitum eſt, etiam de vitâ ſuâ periclitata eſt.

6. Apoſtolum Paullum Iudæorum ritu nudipedalia peregiſſe, grauis auctor B. Hieronymus mihi adſtipulatur non vno loco. De
Act.18.18 B. Paullo ſcribitur; *Sibi totonderat in Cenchris caput*. Item alibi fideles Paullo dixerunt;
Ind.21.21 *Audierunt de te, quia diſceſſionem doceas à Moyſe, eorum qui per Gentes ſunt Iudæorum; dicens non debere eos circumcidere filios ſuos, neque ſecundùm conſuetudinem ingredi ..... Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe. His aſſumptis, ſanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita: & ſcient omnes, quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem..... Tunc Paullus aſſumptis viris poſtera die purificatus cum illis intrauit in tem-*

templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. Hieronymus; *O Paulle, te interrogo, cur caput raſeris, cur nudipedalia exercueris de cærimoniis Iudæorum? cur obtuleris ſacrificia, & ſecundùm legem pro te hoſtiæ fuerint immolatæ? Vtique reſpondebis; Ne ſcandalizarentur qui ex Iudæis crediderunt*. Nimirum; *Multa compellitur Apoſtolus velle quæ non vult: circumcidit Timotheum, raſit in ſe caluitium, nudipedalia exercuit, comam nutriuit, & totondit in Cenchris*, &c. Atque hæc ob hanc cauſſam: *Paullus factus Iudæus Iudæis, vt Iudæos lucrifaceret; & in Cenchris ex voto comam totondit, & nudipedalia atque caluitium Ieroſolymis in templo exercuit: vt eorum ſedaret inuidiam, qui cauſati de eo fuerant, quòd contra legem Moyſi, & Deum faceret Prophetarum.* Vides quo fonte nudipedalium ritus ad nos manauerit; nempe à litteris Sacris, à ſacris ritibus.

Epiſt. 89. c. 3.

Id. lib. 1. adu. Iouin. c. 8.

Id. in illud ad Gal. 4. *Itaque iam non ſeruus.*

7. Ab eodem quoque fonte deriuauit vſus ciliciorum, lineorum, laneorumque amiculorum, ſchemate publicè pœnitentium, & ſe humiliantium: Sacra hiſtoria manifeſtè comprobat. Poſt celeberrimam illá Arcæ fœderis deductionem, *egreſſa Michol filia Saul in occurſum Dauid, ait; Quàm glorioſus fuit hodie rex Iſraël, diſcooperiens ſe ante ancillas ſeruorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur vnus de ſcurris.*

2. Re. 6. 20

ſcurris. Dixitq́; Dauid ad Michol; Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius; & præcepit mihi, vt eſſem Dux ſuper populum Domini in Iſraël. & ludam & vilior fiam plùs quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis: & cum ancillis de quibus locuta es, glorioſior apparebo. Igitur Michol filiæ Saul non eſt natus filius, vſque in diem mortis ſuæ. Dauid Rex, ornatu regio poſito, linteatus ante Arcam Domini ſaltauit, quod Michol diſplicuit. *Alienum à dignitate regiâ putauit, quòd publicè in omnium conſpectu ſaltabat. Neſciebat enim diuini amoris ſtimulos, quos Dauid ſermone ad ipſam Michol declarauit. Addit ad hæc Scriptura, quòd filium non habuerit, ſuæ irriſionis pœnas indicans.*

Procopius Gaz. hoc loco.

8. Rex Achab cùm irati aduerſum ſe Dei capitalem audiſſet ſententiam; *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauítque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens; Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſâ, non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filij eius inferam malum domui eius.* Ioſephus Iudæus in Antiquitatibus Iudaicis hæc ſcribit: *Contriſtatus Achab, & pœnitentiam agens, ingreſſus eſt: & indutus ſacco, nudis pedibus ambulabat, non appetens peni-*

3.Reg.21. 27.

Lib.8. Antiquit. Iud. c.13.

penitus cibum , & peccata ſua confitens , & Deum hoc modo placare contendens. Tunc Deus Prophetæ dixit; Achab quidem viuente, eius generis differendum eſſe ſupplicium , ſed eius filij temporibus inferendum.

9. Rex Ioram in obſidio Samariæ, cùm adeò fames inualuiſſet , vt mater coctum filium comederit: atq; id *audiſſet Rex, ſcidit veſtimē-* 4. Reg. 6.
ta ſua, & tranſibat per murum: viditque omnis 30.
populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus. Quis dubitabit eum cilicij aſperitate iram diuinam cupiuiſſe placare? Ad eumdem modũ *Daniel poſuit faciem ſuam ad Do-* Dan. 9. 3.
minum Deũ rogare, & deprecari in ieiuniis, ſacco & cinere; quorum virtute quod petiit impetrauit. *Cilicium & cinis adhiberi ad pœniten-* Hier. in
tiam ſolent: vt in compunctione cilicij cognoſca- 3. Thren.
mus, quid per culpam fecimus; & in fauillâ cineris perpendamus , quid per vitium facti ſumus. Conſiderētur ergo in cilicio pungentia vitia; conſideretur in cinere per mortis ſententiam ſubſequens iuſta pœna vitiorum.

10. Niniuitæ Prophetæ minis territi; *Ad-* Ion. 3. 4.
huc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur: crediderunt in Deum; & prædicauerunt ieiunium , & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & ſurrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis &

principum eius,dicens;Homines & iumenta, & boues & pecora non guſtent quidquam : nec paſcantur, & aquam non bibant : & operiantur ſaccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine: & conuertatur vir à viâ ſuâ malâ,& ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de viâ ſuâ malâ: & miſertus eſt Deus ſuper malitiâ, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. Diuus Hieronymus;

Hoc loco. *Dignus & victus & habitus pœnitentiæ: vt qui offenderant Deum luxu & ambitione, eorum damnatione placent, per quæ priùs offenderant. Saccus & ieiunium arma ſunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum..... Ad ieiunium ſaccum copulant: vt inanis venter & habitus luctuoſus ambitioſiùs Dominum deprecentur.....* Idque magno fecere fructu. *Deus perſeuerauit in propoſito ſuo, miſereri volens ab initio: nemo enim punire deſiderans, quod facturus eſt, comminatur.*

11. In terribili illo terræ motu, Theodoſio Iuniore imperante; *Patriarcha Proclus, & ipſe Imperator, diſcalceati Litaniis ſiue ſupplicationibus operam dederunt, cùm puer in aërem raperetur, & triſagius doceretur hymnus, & diuina ſiſteretur iracundia.*

Michael Glycas ex Theophã. Confeſſ. part. 4.

12. Heraclius Imperator, partâ victoriâ aduer-

aduerſus Perſas,& recuperatâ Cruce Domini quam Perſæ victis Ieroſolymis abſtulerant, *rediens Ieroſolymam, ſolemni celebritate ſuis humeris retulit ſanctiſſimam Crucem in eum montem, quò eam Saluator tulerat: quod factum illuſtri miraculo commendatum eſt. Nam Heraclius vt erat auro & gemmis ornatus, inſiſtere coactus eſt in portâ, quæ ad Caluariæ montem ducebat: quò enim magis progrediebatur, eò magis retineri videbatur. Cumq; eâ in re & ipſe Heraclius, & reliqui omnes obſtupeſcerent: Zacharias Ieroſolymorum Antiſtes, Vide, inquit, Imperator, ne iſto triumphali ornatu, parum Ieſu Christi paupertatem & humilitatem imitere. Tunc Heraclius abiecto ampliſſimo veſtitu, detractiſque calceis, & plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit: & in eodem Caluariæ loco Crucem ſtatuit, vnde fuerat à Perſis tranſportata.*

Rituales Eccleſiaſt. apud Barõ. to. 8. Anno Chri 628. Bre. Rom. in Exalt. S. Crucis.

Itaque *proceſſionum cærimonias antiquas eſſe, ex his colligere potes; certè non contemnendas, ſi cum intentione animi, & puritate precum peragantur: quarum vmbram aliquam exhibuiſſe Iudæos in nudipedalibus certum eſt.* Quæ mihi prælibanda fuere: quòd magno numero nudipedes ſexus vtriuſq;, pœnitentium habitu, Supplicationem iſtam Traiectenſem adornent, in proceſſione agmen ducentes.

Beatus Rhenan. notis ad c 4. lib 2. Tertul. ad vxorem.

CAPVT XVII.

Cathenas, loricas, arma ferrea ad pœnitentiam corporibus affligendis ritè applicari.

1. ID genus caſtigationes corporum, aliaſque his aſperiores, ad placandam Numinis iram, cum fructu ſponte ſumendas, docente Chriſto & Apoſtolis didicimus. Et quia tales in noſtrâ Supplicatione agitantur, fortean alibi numquam viſæ: etiam iſtæ veniunt aſſerendę, priùs auctoritate Sacrarum litterarum, deinde admirabilibus exemplis priſcorum Sanctorum.

Mat. 16. 24. Chriſtus palàm edixit, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam.* Quidquid corpori moleſtum eſt, etiam illi ſponte inflictum, crucis nomine poteſt intelligi. Hier. ep. 151. ad Algaſiam quæſt. 3. tom. 3. *Non eſt delicata in Deum & ſecura confeſſio. Qui in me credit, debet ſuum ſanguinem fundere. Qui enim perdiderit animā ſuam in præſenti, lucrifaciet eam in futuro. Quotidie, credens in Chriſtum, tollit crucem ſuam, & negat ſeipſum.*

2. Chriſto ſubiungam Apoſtolum Petrum. 1. Pet. 4. 2. *Chriſto paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* Quæ pro nobis Chriſtus paſſus eſt, hæc in proprio ſentire corpore conſulit.

ſulit. *Si veſanum eſt & abſurdum credere, illud pœnitentiæ genus Deum in afflictione noſtrâ deſpicere, quod in ſemetipſo dignatus eſt pro noſtrâ ſalute perferre: quid mirum, ſi quis puniendo commiſſa, ſuimet ſe exhibeat tortorem, & ad euadendum iudicium, ſibi ſe conſtituat iudicem? dicente Apoſtolo; Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Sicut enim temeritatis arguendus non eſt, qui non modò ſacerdotali præcepto, ſed & ſponte ieiunat: ita quoque non fruſtrà laborare cenſendus eſt, qui ſe non alienis dumtaxat, ſed propriis manibus afficiendo caſtigat.* Petr. Damian. ep. ad cler. Florentin. apud Iac. Gretſer. lib. 3. De diſcipl. 1. Cor. 11. 31.

3. D. Paullus forſitan id voluit, cùm ſcriberet Philippenſibus; *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu*. Id quod ipſe ſe feciſſe docet, cùm inquit; *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*. atque alibi; *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*. Irenæi interpres & Paullinus legunt; *Liuidum facio corpus meum* Ita corpus afflixit, [a] *vt Helias in melote, Iſaias in cilicio, & ceteri in diuerſis*. Sed & angelus Satanæ [b] colaphizauit eum, ne reuelationum magnitudine extolleretur. [c] *Si illi qui vas electionis erat, in quo Spiritus Sanctus inhabitabat, non fuit ſatis peregrinando prædicandóque fatigari, & vbique ſæuientibus perſecutionis procellis iactari atque concuti; ſed ad domandos corporis ſenſus, aculeóſque* Philip. 2. 5. Gal. 6. 17. 1. Cor. 9. 27. Lib. 4. adu. hær. c. 72. Paullin. ep. 58. ad Aug. [a] Primaſ. in illud 1. Cor. 9. Caſtigo corp. meum. [b] 2. Cor. 9. 7. [c] M. Mar. libro 3. Exemp. c. 10.

cupidinum retundendos, verberum quoque ictibus quati affligíque oportuit: quis tutum ſe putabit, & non proprij corporis imperio ſe ſubditum iri timebit, ſi in eo caſtigando non æquè ſollicitus fuerit?

4. Conducam igitur aliquot ſanctorum hominum aſperrimæ pœnitentiæ exempla, qui crucem ſuam tollentes Chriſtum ſecuti ſunt, & exemplo Apoſtoli corpus ſuum caſtigauerunt, vt in ſeruitutem ſpiritus redigerent. Theodore. hiſt. relig. 10. Theodoſius Eremita *ferreum onus collo & lumbis, & ambabus manibus adiecit*. Pet. Dam. ad Blancham Comit. c. 9. to 3. Biblio thec. Pat. B. Dominicus Loricatus, ita dictus, quòd non paucis annis *loricâ ferreâ veſtiretur ad carnem. Duobus autem ferreis circulis in corpore cingebatur, duobus item per brachiorum armos arctabatur.*

M. Marul. lib. 3. exēp. c. 10. 5. *Hoſpitius apud Nuceriam ſolitarius, ferro ſolido lumbos nudos præcinxerat: vt ſcilicet eam corporis partem magis attereret, vnde magis* Iob 40. 11. *voluptatis motum exſurgere ſolere ſciret. Virtus enim eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Phylorenius item presbyter intra ſaxeam ſpeluncam incluſus, & ferreis nexibus manus pedéſque reuinctus vixiſſe perhibetur, vt carcerem ſimul vinculáque perferret. Hic extremo vitæ die confeſſus eſt, nullum à ſe temporis momentum, quo non de Deo aliquid cogitaret, prætermiſſum. Dum igitur corpus voluntariâ caſtigatione premeretur, ſpiritus*

ipſe,

ipſe, terrenis affectibus liber, ſemper cæleſtia meditabatur.

6. Simeonem monachum accepimus, dum apud puteum aquam hauriret, fune de ſitulâ ſoluto, nudum corpus multo volumine circumduxiſſe, veſtéque ſuperiniectâ, vincula illa nullo conſcio operuiſſe. Sed cùm tandem penetrantibus nodis exeſa iam & ſuppurata caro fœtore ſecretum prodidiſſet: Abbatis iuſſu funem detractum, ipſum de monaſterio pulſum fuiſſe; quoniam id facinus magis animi ſtultitiæ, quàm deuotioni imputabatur: pulſum autem abiiſſe in ſolitudinem: & cùm ab eodem Abbate, nocturnis terrificationibus per viſum agitato, reuocandus quæreretur; in ciſternâ ſiccâ inuentum, atque ad monaſterium reductum. Oſtendit Deus, quanti talem in illo vitæ auſteritatem faceret, ſine cunctatione diſponendo, vt ab his ipſis honoraretur, qui expulerunt. M. Marulus vbi ſuprà.

7. Commemorat S. Bonauentura in hiſtoriâ vitæ S Franciſci, tantæ fuiſſe auſteritatis Beatum Moricum ex ordine Minorum, D. Franciſci æqualem; *vt vnicâ tantùm operiretur tuniculâ, ſub quâ longo tempore loricam portabat ad carnem; & crudis dumtaxat cibariis, herbis vel leguminibus fructibúſque contentus, per plura temporum luſtra nec panem guſtaret, nec vinum.* Cap. 4.

8. Sanctus Dominicus inſtituti Prædicatorum fundator, *numquam, neque domi neque* Vitæ lib. 3. c. 12.

 foris

foris lecto vſus eſt, ſiue ſanus ſiue ægrotus eſſet. Humi cubabat, vel in ſcamno, ſtoreâ, aut crate ſtramineâ, aut paleis vel ſacco: atque ita nocte dormiebat veſtitus vt interdiu ingrediebatur; niſi quòd ſoccos detrahebat pedibus. Semper ad lumbos cathenam habebat ferream, quoad vixit.

Ind. lib. 4. c. 9. *Non autem ſat habuit vir Dei, perpetuis vigiliis carnem maceraſſe ſuam: ſed etiã quamuis innocẽtem & virgineam, multis verberibus & caſtigationibus attriuit. Singulis enim noctibus ter cathenâ ferreâ ſe flagellauit: primò, pro ſeipſo; tũ propter peccatores in mundo degentes; tertiò, pro animabus in purgatorio luentibus.*

Sancta Catharina Senenſis, Virgo admirabilis, inſtituti S. Dominici, initio ſolis laneis veſtibus vtebatur, deinde cilicio. Sed quia ſordes vitabat, cilicium cathenâ ferreâ commutauit. Plura non addo, quia talia obuia paſſim in hiſtoriis Sanctorum.

Pet. Dam. epiſt. ad Cerebroſ. Monach. tom. 3. Biblioth. Pat. Sur. 14. Octob. *Pſal. 76. 7

9. Obiiciet aliquis: *Vt quid percutio carnem? reſpondeo; Vt quid percutio ſpiritum? Dicit enim Pſalmiſta; * Exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Carnem ſiquidem & ſpiritum ſcopo, qui me deliquiſſe per carnem & ſpiritum recognoſco. Iſtum, correptionum; illam, cum ceteris afflictionibus, etiam percuſſione virgarum. Vt quia me læta caro traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Loricâ eſt homo indutus ad carnem; ferreis membra diuulſa circulis ambit; mittit cum labore metanæas, allidit*

in pauimentum ſæpiùs palmas: vt quid hæc, & ſimilia? Vt dum per hæc corpus affligitur, animæ refrigerium procuretur. Quodcumq; enim illud eſt, per quod caro pœnitentiæ cauſsâ laceratur atque percellitur, per hoc homo procul dubio ad æternam requiem perducetur.

10. Hæc mihi ex antiquitate, & auctoribus bonis, libanda fuerunt: ne quis heſternum atque inſolens exiſtimet, in Supplicatione noſtrâ Traiectenſi, quam paullò pòſt deſcribam, ſi quis cum ſuo aliorumque ſtupore videat, non modò cathenatos aut loricatos, verùm etiam à capite vſque ad pedes ferreis armis nuda corpora tectos procedere. Quorum ſi rogetur aliquis, quamobrem tam dura ſuſtineat: reſpondebit cum celeberrimo vitâ aſperâ Thalelæo; *Ego multis peccatis obnoxius, & credens ſupplicijs quorum minæ ſunt intentatæ, hoc excogitaui: hoc agens, vt caſtigetur corpus pœnis mediocribus, vt eripiar à magnitudine earum quæ exſpectantur. Sunt enim illæ grauiores, non ſolùm quantitate, ſed etiam ipsâ qualitate: ſunt enim inuoluntariæ. Quod autem ab inuito fit, id eſt valdè moleſtum. Quod autem eſt voluntarium, etiamſi ſit laborioſum, minorem adfert dolorem: ſponte enim ſuſcipitur; ſed non labor violentus. Si his ergo paruis moleſtiis minuero ea quæ exſpectantur, hinc magnum lucrum referam.*

Cap. 21.

Theodoret. hiſt. relig. 28.

11. *Ceterùm corpus ipſum ita affligendo mode-*

M. Marul. lib. 3. exēp. c. 12. *moderari debemus, vt rationi pareat, non vt occidat: ſicut & paullò durior ſeruus, non vt diſpereat puniri debet, ſed vt mitior ſubmiſſiórque fiat; & domini ſui imperium magis prompta exſequi maturet famulatu. Certè nauis ipſa, ſi ſupra modum oneretur, ſubſidet, & fundum maris citiùs continget quàm littus: & ſi infra modum; ad omnem flatum inſtabili alueo, alternáque laterum iactatione dum vacillat, periclitabitur. Et ſi laſciuienti iumento plus oneris quàm ferre preualet, imponatur; in itinere corruet: ſin minus, contra ſtimulum calcitrabit. Tentandæ ſunt igitur examinandæq; vires, & æquandum cum viribus pondus: quod ferentem neque grauitate opprimat, neque leuitate licentiùs inſoleſcere ſinat.*

Capvt XVIII.

Imagines Deiparæ Virginis in Supplicationibus vtiliter & fructuosè circumferri.

1. Ivre Catholicos reprehendere nemo poteſt, quòd imagines Diuorum, atque potiſſimùm Diuæ Virginis, in proceſſionibus circumferamus. Sacerdotes Moſaicæ Legis cùm Arcam Domini geſtarent, etiam ferebant *Cherubim aureos operientes oraculum.* Exod. 25. 20. Mitto hæc, quando ritui noſtro plura, & quidem non heſterna ſuffragentur exempla.

2. Romæ

2. Romæ erat, cùm peſtis grauiſſima ſæuiret indies magis. *Ad ceteros autem caſus, quibus homines fœdè paſſim abſumebantur, hoc etiam mali acceſſerat, quòd multi cùm ſternutarent, alij cùm oſcitarent, repentè ſpiritum emittebant. Quod cùm ſæpiùs eueniret, conſuetudo inducta eſt, quæ nunc etiam obſeruatur, vt ſternutantibus ſalutem precando, oſcitantibus ſignum crucis ori admouendo, præſidium quærerent. Quibus rebus permotus Gregorius I. ad çetera cæleſtis iræ piacula, poſtero anno religioſam in die Reſurrectionis ſupplicationem inſtituit. atque ſolemni in pompâ ſanctam Virginis Dei Genitricis imaginem extulit. Hæc ex ore eius, Lucæ Euangeliſtæ manu affabrè ad viuum expreſſa, iam tum in æde D. Mariæ ad Præſepe in Exquiliis ſitâ, eximiâ populi religione conſeruabatur. Factum eſt autem vt imaginem ipſam, quacumque ferretur, tetrâ peſtilentis cæli grauitate cedente, optata ſalubritas ſequeretur. Quâ de re Deo gratulantibus omnibus; ecce, Angelus ſanctam Virginem his vocibus è cælo alloquens eſt auditus; Regina cæli lætare, Alleluia. Quia quem meruiſti portare, Alleluia. Reſurrexit ſicut dixit, Alleluia: Quam vbi Gregorius auribus orationem accepit, ſtatim diuino inſtinctus ſpiritu in hunc modum expleuit; Ora pro nobis Deum, Alleluia. Exinde Antiphona ſolemnis Eccleſiæ, Paſchalis argumento lætitiæ manſit. Neque ita multò pòſt Angelus ſuper*

Car. Sigo. lib. 1. De regno Italiæ Fl. Agilulpho III. Rege Longobar.

Hadriani

Hadriani molem aſtans, ac ſtrictum mucronem vaginâ recondens, conſpectus eſt. Quo viſo Gregorius exhilaratus, conuerſo ad populum ore; Bono omnes, inquit, animo eſtote: nam optatus diuinæ iræ, ac furentis iam pridem peſtilentiæ finis, Deo ipſo annuente, oſtenditur. Atque ita vt ille præſenſit, ipſe deinde morbus elanguit. Ab hac re moli, Sancti Angeli nomen eſt inditum.

3. Nota, nota; iam ante mille annos Romæ celeberrimam habitam Supplicationem, in die Reſurrectionis Chriſti: atque in eâ Diuæ Virginis imaginem maximâ religione circumgeſtatam, peſtem ſæuientem ſtitiſſe. Hæc cùm lego, perſuadent vt credam, & noſtram monaſterij Traiectenſis proceſſionem, cùm in die Dominicæ Reſurrectionis, propter frequentem populi communionem oportunè celebrari non queat, in ſecundam feriam Paſchalis ſolemnitatis eſſe dilatam. Nec mihi dubium, quandoquidem conſtet vrbem Traiectenſem peſtilentiâ ſæpiuſculè tactam, eodem adſpectu Supplicationem hanc agitari, quo olim illa Romæ habebatur ipsâ die Dominicæ Reſurrectionis, auctore Gregorio Pontifice. Enimuerò, ô Diua Virgo, *in te Angeli lætitiam, iuſti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ: quia in te, & per te, & de te, benigna manus Omnipotentis quid-*

Ber. Ser. 2. de Pentec.

quidquid creauerat recreauit. Scimus aliquoties ingraueſcente peſtilentiâ D. Virginis imaginem in publicâ Supplicatione elatam magiſtratu petente, ciuitati remedium attuliſſe.

4. *Manuel Comnenus Imperator Græcorum, Pannoniis ſuperatis, tantâ victoriâ lætus & exultans, Deo gratiis actis, ſtatim rei benè geſtæ nuntios in Vrbem mittit: ac poſt dies aliquot & ipſe Conſtantinopolim ingreſſus, triumphum ducit ab Orientali portâ, quæ ad arcem patet; eúmque, ob inſignem & incruentam victoriam, quàm ſplendidiſſimè & magnificentiſſimè adornat. Expanſæ ſunt omnes purpureæ & auratæ veſtes: & ciues alij aliunde ad pompam illam confluentes, inſtar torrentis ex monte decurrentis, fora, ædes, templa, officinas, & loca omnia Vrbis ampliſſimæ deſeruerunt. Sunt & captiui in triumpho ducti. Platea illa, vtrimque ſuggeſta habuit ad binas & ternas cõtignationes educta: tecta quoq; omnia ſpectatoribus referta fuerũt. Imperatorem quadrigæ argenteæ auratæ cum equis niue candidioribus præcedebant, quibus impoſita erat imago inuictæ adiutricis, & inſuperabilis commilitonis Matris Dei. Neque verò axis magnum ſonuit; quia non vehebat acrem deam Mineruam, quæ falsò virgo dicitur: ſed veram Virginem, quæ Verbum inexplicabili ratione per verbum peperit. Eum currum, Imperatoris propinqui atque amici, Senatus, viri magiſtratibus & dignitatibus inſignes, ponè ſeque-*

Nicetas Choniates lib. 5. Manuele Cõmneno.

quebantur. Deinde ipſe Imperator prodiit equo feroci inſidens, vir inclytus & maximus, ornamentis illuſtribus inſignis, comitante Contoſtephano triumphi auctore: qui ob victoriam & rem benè geſtam celebrabatur. Magnum templum ingreſſus, Deóque coram omni populo laudato, in Palatium pergit: laxatáque nimiâ bellorum contentione, ludis equeſtribus recreatur.

Nicephor. Gregoras lib. 4. hiſt. Rom.

5. *Michaël Palæologus* Græcorum Imperator, recuperatâ Conſtantinopoliâ Balduino, *Vrbem non priùs intrat, quàm ſacroſanctæ Deiparæ (quam quaſi viæ monſtratricem, Hodogetriam vocant) imago per portam, quam Auream dicunt, ingreſſa eſſet. vbi cùm illi gratiæ hymnis actæ fuiſſent, tum demum pedes, præcedente ſacroſanctâ imagine, eſt ingreſſus.*

B. Rhena. in illud Tertul. c. 4 lib. 2. ad vxor. *Si procedendum erit.*

6. Ex his proceſſionum, & iam inde Litaniarum vſum, à principio Catholicis fuiſſe conuincitur. *Quem poſteà renouauit, vel auxit Leo Primus: (nam cum Mamerco Vienneñſi Epiſcopo, dicere eum primò inſtituiſſe, nolim nec auſim) cùm in frequenti motu terrarum illabi videretur orbis, Supplicationes ſiue Rogationes publicè indixit; quas noſtri, retentâ Græcâ dictione, Litanias, & vulgò Proceſſiones vocant: quòd binos procedendo bini longo ordine proſequãtur, à loco ad locum progrediendo, ac magnâ voce orando. atque hæ Minores nuncupantur, quas*

quas haud multò pòſt Agapetus Pontifex dicitur primus conſtituiſſe in ſingulos dies Dominicos in templis vel circum templa habendas, vti ſeruatur gentium vbique. Poſt hæc Gregorius Maiores inſtituit, quas omnis ordinis populus, ſepteno ordine incedens, alternis caneret: cùm per id tempus lues morbi graſſaretur, quo inguinibus ſtatim tumeſcentibus, innumeri perirent. Cuius peſtis Paullus Montis Caſſini monachus, qui Longobardorum hiſtoriam ſcripſit, cauſſam fuiſſe narrat, prodigioſum Tiberis incrementũ: quòd recentibus inde vndis ingens ſerpentum numerus in Vrbem inuaſerat, ac eouſque tabefecerat ciuitatem, vt inguinibus ſubitò tumefactis, paſſim mortales interirent. Quod malum Pelagius, in cuius locum Gregorius ſubrogatus poſteà fuit, precibus auertere conatus, ieiunium ac Litanias indixit; ſed & ipſe inter alios interiit. Subiit illud peſtis genus, vt cùm quis ſternuiſſet, exſpirabat protinus: vnde mos (ſicut quidam tradunt) inoleuit, vt audientes quempiam ſternutantem illicò dicerent; Te Deus adiuuet: quod hodieq; ſeruatur. Item & oſcitare ſimul letale fuit: propter quod ſeſe Crucis ſigno repentè communire conſueuerunt; & hoc etiam nunc ab oſcitantibus cuſtoditur. Gregorius itaque Supplicationes decreuit. Ob metum impendentium malorum, ad prouocandam Dei miſericordiam, ſecuta ætas rem eamdem, id eſt, has ſupplicationes tranſtulit ad actiones gratiarum

cum

cum exſultatione. Ideò in ipsâ pompâ Proceßionum ſolent ludicra quædam præcedere, quibus Prophetæ repræſentantur & Apoſtoli, alati pueri concinunt, chorus inducitur feminarum. Hic agit Dauidem, ille Salomonem gerit. multiiuges recitantur hiſtoriæ, feruntur cerei, adhibentur ſymphoniæ, loca velantur, pueri vetantur è feneſtris deorſum verſum ſpectare. Viæ mundantur, floribus ſternuntur, quà ſacer incedebat comitatus. Reliquiæ Diuorum imagineſq́; cum reuerentiâ portantur: & alia id genus à fidelibus pro ratione temporis, loci & regionis, peraguntur multa, quæ ſunt exſultantium in Domino, & Dauid imitantium fidem, qui ante
2.Reg.6. 20. *Arcam Domini procedebat tripudians, Deo acceptus, ſtultæ ſoli Michol ingratus.*

CAPVT XIX.

Theophoriam Venerabilis Sacramenti Supplicationibus inſtinctu diuino adhiberi.

1. SCIMVS nunc etiam Michol cum ſuo pædagio deridere Dauidem, cunctoſque viros ſecundùm cor Dei; quòd iubilent ante veram Arcam Domini, dico ter ſanctam Euchariſtiam, cùm ex inſtituto maiorum effertur adoranda. Sed etiamſi talis quiſpiam
Tertul. lib. 2. ad Vxor. c. 5. *panem non illum credit eſſe qui dicitur:* tamen nihilominùs, imò etiam multò magis, noſtris pectoribus inſcriptum eſt beati documentum Hila-

Hilarij; *Caro mea verè eſt eſca: & ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtrâ verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt? Contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum verum eſſe Deum negant.* Porrò autem, hîc vero veriùs eſt Chriſtus: atque adeò infimæ claſſis puerilium eſt argutiarum; Chriſtus non ad efferendum, non ad adorandum myſteria ſua inſtituit: non circumferri debent, non adorari. O capita vinculis Hippocratis alliganda! præſentio prçcurſores Antichriſti: Chriſtũ hîc verum Deum, ne adoretis, negatis. At verò, ille ſi Deus eſt: cur non, vbicumque inuenero, adorem? An etiam vos eiurato Chriſto, viam Antichriſto ſternitis, *qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur?* Enimuerò perbellè malo dæmoni procuratis adorationem, Chriſto eam inuidenti, cùm inquit; *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Cui Chriſtus; Vade Satana: ſcriptum eſt enim; Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Dçmon Chriſtum nón adorauit, ſed reliquit: vos identidem reliquiſtis, ideò Chriſtum non adoratis.

Lib. 8. de Trinitate. Ioan. 6. 55

2. Theſſ. 2. 4.

Mat. 4 9.

2. Poſſem reſpondere argumenti veſtri
Mat.20.28 ſchemate; *Filius hominis non venit miniſtrari,*
Luc.4.43. *ſed miniſtrare.* & ipſe Chriſtus; *Et aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideò miſſus ſum.* Quid igitur? Non adorari?
Mat.2.11. At Magi in ſtabulo *procidentes adorauerunt*
Ioan.9.38. *eum.* & cæcus ille natus *procidens adorauit eum.* Theophoria igitur, cùm potiſſimùm fiat adorationis ergô in Supplicationibus; vnde cœperit, quà fieri poteſt, oſtendemus. Et licet ipſa manifeſtè à Chriſto iuſſa non ſit, neque mox ab initio Eccleſiæ in more fuerit: tamen tempore procedente inualuit, & hodieque
Ioan. 12. 24. ritus iſte tenetur. Grano frumenti ſe componit Chriſtus. Vt ſemen ſparſum priùs terram prendit, tum agit radices; denique exſurgens, non ſtatim, ſed in tempore fructificat: ita ritus omnes Eccleſiæ tandem irroborauerunt. Quemadmodum igitur Arca fœderis, in quâ
Heb.9.4. ſeruabatur *Vrna aurea habens Manna*, circum Iericho geſtata fuit, atque aliàs magnâ pompâ aliò didũcta: ita etiam verum illud Manna, panem de cęlo nobis datum, iure merito ſumma religione efferimus.

3. Quod antequam afferamus, pro rei fundamento dicimus; Corpus Chriſti ſeruari ſolitum antiquitus pro viatico ad communionem fidelium; vt in tempore deferri poſſet ad infirmos, morte imminente. Notandum quoque; pios cùm de manibus Sacerdotum

Corpus

Corpus Chriſti accepiſſent, domum tuliſſe, illud oportunè ſumpturi. Cyprianus Epiſcopus Carthaginiẽſis & Martyr atteſtatur, cuius verba aſſcribo; *Præſente ac teſte meipſo accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minùs conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt: relictam nutrix detulit ad Magiſtratus. Illi ei apud idolum, quò populus confluebat, quòd carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater: ſed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit, quàm nec intelligere priùs potuit nec arcere; ignoratione igitur obreptum eſt, vt ſacrificantibus nobis eam ſecum mater inferret: ſed enim puella mixta cum Sanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu fluctuabunda iactari, velut tortore cogente, quibus poterat indiciis, conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præſentibus cæpit, & accipientibus ceteris locus eius aduenit: faciem ſuam paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctãti licet de Sacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eu-* Serm. de lapſis.

chariſtia permanere non potuit: ſanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit. tanta eſt poteſtas Domini, tanta maieſtas! Secreta tenebrarum ſub eius luce detecta ſunt: Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa ſe crimen necdum habuit ætatem. At verò ea, quæ ætate prouectâ, & in annis adultioribus conſtituta ſacrificantibus latenter obrepſit, non cibum ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena lethalia intra fauces & pectus admittens, angi & animâ exæſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non iam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit vltorem. Et cùm quædam arcam ſuam, in quâ Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire: igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et cùm quidam alius, & ipſe maculatus, ſacrificio à Sacerdote celebrato, partem cum ceteris auſus eſt latenter accipere: Sanctum Dei edere & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus inuenit: documento vnius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cùm negatur; nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, cùm gratia ſalutaris in cinerem ſanctitate fugiente mutetur.

4. Si Euchariſtia nihil aliud, quàm panis, & ſignum

ſignum, vti Nouatores docent; nec ſanctificatus ad mentem Catholicorum: vnde igitur iſta ſtupenda miracula, quæ B. Cyprianus ſcribit? Vides igitur etiam extra ſumptionem aſſeruata Dominici corporis Sacramenta. Concilium Nicænum primum indicat manifeſtè, cuius Canon ita decreuit; *Vt ſit in vnaquaque Eccleſiâ Oeconomus, & cum eo alij, qui habeant curam prouentuum, & agrorum; & alij villarum, & ſumptuum quotidianorum: alij frumenti & leguminum: alij vaſorum auri & argenti, ac veſtimentorum, ac ornamentorum Eccleſiæ. Alij habeant curam loci, in quo ſancta Euchariſtia ſeruatur: & quiſque habeat curam eorum quæ ſibi commiſſa ſunt, idq́; cum timore Dei.* Can. 63. edit. ex Arabico.

5. Etiam ex B. Cypriano diſcimus impios à ſacrâ corporis Domini participatione abſtentos miraculo; & cùm ſe Chriſtianorum ſacrificiis ingeſſiſſent, grauiter punitos. Item in more fuiſſe id temporis, Euchariſtiam de manibus Sacerdotum acceptam domum efferre: vti iuxtim ſe haberent Chriſtiani & opportunè ſumerent, quando in perſecutione conuentibus & cœtibus, ſacriſq́ue prohibebantur. *Cuius ſententiæ martyr glorioſus Tarſitius nobis idoneus teſtis occurrit. Qui cùm veneranda Dominici corporis Sacramenta portaret, à paganis fortè ſuperuenientibus, & quidnam ferret exquirentibus, comprehenſus eſt. At* Guitmūd. li. 2. de Sac. Alt. 48. Alger. lib. 2. c. 1.

 ille

ille mori potiùs, quàm Sancta dare canibus eligens, palmam pretioſæ mortis emeruit. Ex quo conficitur antiquitus fuiſſe deportationem venerabilis Sacramenti.

6. At illa magis comprobatur, quòd etiam pro viatico deferri ſoleat infirmis iam morituris. Concil. Nicænum; *Si quis lapſorum ad mortem, dum in pœnitentiâ eſt, peruenerit: non eſt priuandus ſacrâ communione, quæ eſt* VIATICVM VITÆ, *ſi eam petierit. Quòd ſi poſt orationem & communionem ex infirmitate, in quâ erat, conualuerit: communicabit poſteà in oratione tantùm cum fidelibus, & non accipiet communionem ſacram. Adhibeatúrque diligentia, vt cuicumque proximo morti Sacramenta, ſi petierit, miniſtrentur; idq́; cùm Epiſcopus diligenter inquiſierit, an dignus ſit: quia non licet, vt priuemus eos Sacramento communionis.* Illuſtre exemplum ſcriptum reliquit Dionyſius Epiſcopus Alexandriæ. *Erat quidam Serapion apud nos fidelis ſenex, qui licet magnam vitæ partem integrè & incorruptè tranſegiſſet, tempore tamen perſecutionis præ imbecillitate animi lapſus eſt. Hic ſæpenumerò in Eccleſiâ denuò recipi ſupplex poſtulabat: ſed nemo quia idolis ſacrificaſſet, eius poſtulationi aliquando auſcultauit. Qui in grauem morbum delabens, triduo deinceps mutus, & abſque ſenſu vixit: quarto autem die paululùm reuelatus, nepotem ad ſe accerſit, ſicq́; alloquitur*

Can. 19. edit. ex Arab.

Apud Euſeb. Cæſar. lib. 6. Eccl. hiſt. 36.

tur

tur; Quouſque, fili, me detinetis? properate obſecro, & me ocyùs dimittite. aliquem ex Presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm dixiſſet, iterùm fit mutus. Puer currit ad Presbyterum: nox iam erat. Ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat: ſed tamen quoniam à me quidem mandatum dabatur, vt qui iam eſſent vitâ emigraturi, Sanctorum myſteriorum (dummodò peterent, & vel maximè ſi anteà dum integrâ valetudine erant, ſupplices petiuiſſent) participes fierent: ſicq; cum pace dimiſſi, & bonâ ſpe confirmati, ex hac luce diſcederent; puero exiguam quamdam Euchariſtiæ partem dedit, præcipiens vt eam madefactam in os ſenis infunderet, quam puer ſecum adferens rediit. Cui iam appropinquanti, priùs quàm cum eo quod geſtabat intraret ædes, Serapion denuò recuperatâ voce dixit; Veniſti fili? tametſi Presbyter non poteſt venire, tu tamen praſta, quod tibi in mandatis dederit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer quam apportarat, madefactam in os ſenis infundit; atque ille, ſimul atque eam pedetentim per fauces dimiſerat, illicò extremum ſpiritum edidit. Iſto igitur æuo, perſecutione ingraueſcente, talia permittebantur. Quò etiam ſpectare videntur, quæ Iuſtinus Martyr ſcribit; poſt ſacrificium, poſt preces & gratiarum actiones, *Conſecrata diſtribuuntur ſingulis, & abſentibus mittuntur per Diaconos*, quibus Dominici corporis & Apolog. 2. ad Anton. Pium.

ſanguinis diſpenſatio vetuſto more concredita fuit.

7. Legimus etiam veteres Chriſtianos S. Euchariſtiam in tutelam itineris pro viatico ſecum detuliſſe. Ambroſius de Satyro fratre, cuius obſeruantiam erga Dei cultum prædicans ſcribit : *Quòd priuſquam perfectioribus eſſet initiatus myſteriis, in naufragio conſtitutus, cùm ea quâ vehebatur nauis ſcopuloſo illiſa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus ſolueretur, non mortem metuens, ſed ne vacuus myſterij exiret è vitâ; quos initiatos eſſe cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum popoſcit: non vt curioſos oculos infereret arcanis, ſed vt fidei ſuæ conſequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo: atque ita ſe deiecit in mare; non requirens de nauis compage reſolutam tabulam, cui ſupernatans iuuaretur: quoniam fidei ſolius arma quæſierat. Itaque his ſe tectum atque munitum ſatis credens, alia auxilia non deſiderauit. Simul fortitudinem eius ſpectare licet: qui fatiſcente remigio, non quaſi naufragus tabulam ſumpſerit, ſed quaſi fortis ex ſeipſo adminiculum ſuæ virtutis aſſumpſerit. Nec deſeruit ſpes, nec fefellit opinio. Denique primus ſeruatus ex vndis, & in portum terrenæ ſtationis euectus, præſulem ſuũ cui ſe crediderat recognouit. Statímque vbi etiam ceteros ſeruulos ſuos vel ipſe liberauit, vel liberatos comperit: negligẽs facultatum,*

Orat. de obitu fratris Satyri tom. 3.

tatum, nec amiſſa deſiderans, Dei Eccleſiam requiſiuit, vt ageret gratias liberatus, & myſteria æterna cognoſceret, pronuntians nullum referendæ gratiæ maius eſſe officium. . . . . Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum myſterij cæleſtis inuoluti in orario præſidiũ fuiſſet expertus: quantum arbitrabatur ſi ore ſumeret, & toto pectoris hauriret arcano? Aliter D. Ambroſius de myſteriis Dominici corporis ſcribit, quàm iſti ſentiunt Nouatores. Sed nota; Satyrum necdũ initiatum baptiſmo Chriſtiano, *diuinum illud Sacramentum popoſciſſe*; & certè ab aliis Chriſtianis, qui etiam illud ferebant pro tutelâ in itinere, cuius præſidium in naufragio Satyrus ſenſit.

8. Huic ſimile quod B. Gregorius Romanus Põtifex commemorat de venerabili viro Maximiano. Hic cùm Conſtantinopoli *Romam rediret, in mari Adriatico nimiâ tempeſtate deprehenſus, inæſtimabili ordine, atque inuſitato miraculo erga ſe cunctoſq; qui cum eo aderant, omnipotentis Dei & iram cognouit & gratiam. Nam cùm in eorum morte ventorum nimietatibus eleuati fluctus ſæuirent: ex naui clauis perditis arbor abſciſſa eſt, vela in vndis proiecta; totúmque vas nauis quaſſatum, nimiis fluctibus ab omni fuerat ſuâ compage diſſolutum. Rimis itaque patentibus intrauit mare, atque vſque ad ſuperiores tabulas impleuit nauem: ita vt non tam nauis intra vndas, quàm* Libro 3. Dialog. c. 36.

vnda iam intra nauem eſſe viderentur. Tunc in eâdem naui reſidentes, non iam ex morte vicinâ, ſed ex ipsâ eius præſentiâ ac viſione turbati omnes: ſibimet pacem dederunt, corpus & ſanguinem Redemptoris acceperunt, Deo ſe ſinguli commendantes, vt eorum animas benignè ſuſciperet, quorum corpora in tam pauendâ morte tradiderat. Sed omnipotens Deus, qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabiliùs ſeruauit. Nam diebus octo nauis eadem vſque ad ſuperiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatauit. Ad portum veniẽs cùm omnes exiſſent, mox nauis ſubmerſa fuit. Detulerunt igitur ſecum S. Euchariſtiam, & pro ſalutari Viatico, & morte inſtante ſumendo.

9. Addo tertium eiuſdem rei exemplum.

S. Laurẽtij Epiſcopi Dublinẽſ. Vitæ c. 8. apud Suriũ 14. Nou. tom. 6.

Tres magni latronũ principes, qui multis ſceleratis præerant, tres turmas ſatellitum ſibi collegerant, religioſiſq; perſonis & Eccleſiaſticis, ad S. Coëngini & Abbatis Laurentij protectionem pertinentibus, moleſtias & damna plurima inferebant. Quodam igitur die in viâ, quam S. Coënginus manibus ſuis conſtruxiſſe dicitur, trans paludes & aquarum ſcaturigines, dum in ſuis exſpectarent latibulis, ſi quos ſpoliandi oportunitas ſe offerret: mox quatuor Sacerdotes cum magnâ turbâ hominum tranſire comperiunt, qui Euchariſtiam, ſicut tunc moris erat pluribus, ſecum pro TVTO VIATICO, *ac ſecuro*

duce

duce itineris, publicè deferebant. In quos ferociter irruentes, Sacerdotes manu ſacrilegâ ſpoliauerunt, n... e redemptionis pretio, hoc eſt, Euchariſtiæ nullam reuerentiam exhibentes; ſed magis irreuerenter tractantes, nefandis dentibus attingere & atterere præſumpſerunt; & ceteros vſque ad mortem ferè, verberibus affecere. Id quod non impunè abiit ſceleratis: octiduo pòſt ſuſpenſi ſunt.

10. Euſebius Cæſarienſis antiquus hiſtoricus ſæculo Conſtantini M. Imperatoris, alium ritum in more fuiſſe Catholicis docet, quòd Epiſcopi ad ſe venientibus externis Epiſcopis obuiàm efferre ſolent S. Euchariſtiam in ſymbolum pacis & communicationis. Diſſidium erat inter Victorem Pontificem Romanum & Epiſcopos Aſiæ, quòd hi variarent ab Eccleſiâ Romanâ in celebrando diem Reſurrectionis Domini. *Omnes Eccleſiæ Aſiæ antiquâ quadam traditione adductæ, cenſebant decimo quarto die Lunæ (quo Iudæis olim præceptum erat, vt agnum immolarent) Feſtum illud celebrandum; & omnino eo die, in quemcumque hebdomadæ diem incideret, ieiuniis finem ſtatuendum.* * *Victor, qui tum Romanæ Eccleſiæ præerat, totius Aſiæ Eccleſias cum aliis finitimis, tamquam alterius fidei & opinionis, ſimul omnes à communi vnitate Eccleſiæ amputare conatur; & in eos per litteras grauiter inuehitur: atque adeò omnes fratres eam incolentes*

Euſeb. Cæſar. l. 5. Eccleſ. hiſt. c. 22.

*Ibid. c. 24.

lentes regionem, prorſus à communione ſecludendos edicit. Id grauiter ferentes Aſiani, reſcripſere Victori, & cum illis Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis, in hęc verba; *Presbyteri ante Soterem, qui Eccleſiæ, cui tu iam praees, præficiebantur; Anicetum dico, Pium, Hyginum, Teleſphorum, Sixtum; licet neque ipſi hoc feſtum eo die, quo Epiſcopi Aſiæ obſeruarent, neque aliis poſt ſe ita obſeruare permitterent: nihilominùs tamen cum Epiſcopis illarum Eccleſiarum, in quibus ita obſeruabatur, ad ſe accedentibus pacem inter ſe & concordiam perpetuò retinuerunt, ac numquam propter iſtum varium illius feſti obſeruandi modum fuere vlli aliquando ab Eccleſiâ eiecti: ſed presbyteri illi qui te anteiuerunt ætate, tametſi minimè illud ita obſeruabant, his tamen Epiſcopis, qui in aliis Eccleſiis idem ſic obſeruabant, Euchariſtiam miſerunt.* Itaque tunc hic mos erat efferendi S. Euchariſtiam: quod cum magnâ veneratione factum indicat Rufini trãſlatio; nam tranſtulit, *Euchariſtiam ſolemniter tranſmittebant.*

Euſebius Cęſar. lib. 5 Eccle. hiſt. c. 24. Rufin. interp.

11. Quod verò magis ſpectat ad propoſitum; Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſolet ex loco proprio deportari ad altare, etiam à Diacono. Quòd ſi ille potuerit efferre, ſanè multò id magis Sacerdotes & Epiſcopi. Diuus Hieronymus de Exuperio Epiſcopo Toloſano; *Nihil illo ditius; qui corpus Domini caniſtro vimineo, ſanguinémque portat in vitro.* Porrò de

Epiſt. 4. ad Ruſticum.

de Diacono Euchariſtiam efferente in turre repoſitam (Tabernaculum nunc vocamus) hæc poſteritati reliquit Gregorius Turonẽſis, inquiens; *Recolo quod in adoleſcentiâ meâ geſtũ audiui. Dies paſſionis erat Polycarpi martyris magni: & in Ricomagenſi vico ciuitatis Aruernæ, eius ſolemnia celebrabantur. Lectâ igitur paſſione cum reliquis lectionibus, quas canon Sacerdotalis inuexit; tempus ad ſacrificium offerendum aduenit; acceptaque turre Diaconus, in quâ myſterium Dominici Corporis habebatur, ferre cœpit ad oſtium: ingreſſuſq́; templum vt eam altari ſuperponeret, elapſa de manu eius ferebatur in aëra, & ſic ad ipſam aram accedens, numquam eam manus Diaconi potuit adſequi; quod non aliâ credimus actum de cauſâ, niſi quia pollutus erat in conſcientiâ. Sæpiùs enim ab eodem adulteria ferebantur admiſſa.* De Gloriâ Martyr. cap. 86.

12. Huc ſpectat Concilium Braccarenſe Tertium, cuius hoc decretum; *Bona ſiquidem res eſt diuina Sacerdotibus contrectare myſteria: ſed cauendum valdè eſt, ne hoc quiſquã ad vſum prauitatis ſuæ intorqueat, vnde ſoli Deo de bonâ conſcientiâ placere debuerat. ſcriptum eſt enim; Væ his qui faciunt opus Domini fraudulenter & deſidioſè. Vt enim quorumdam Epiſcoporum deteſtãda præſumptio noſtro ſe cœtui intulit dirimenda; agnouimus quoſdam de Epiſcopis, quòd in ſolemnitatibus Martyrum ad Eccleſiam progreſſuri, Reliquias collo ſuo imponant,* Can. 5. Ierem. 48. 10.

nant, vt maioris faſtus apud homines gloriâ intumeſcant: & quaſi ipſi ſint reliquiarum arca, Leuitæ albas induti in ſellulis eos deportent. Quæ deteſtanda præſumptio abrogari per omnia debet: ne ſub ſanctitatis ſpecie ſimulatâ, vanitas ſola præualeat, ſi modum ſuum vniuſcuiuſq. ordinis reuerentia non agnoſcat. Et ideò, antiqua in hac parte & ſolemnis conſuetudo ſeruabitur, vt in feſtis quibuſq. diebus, Arcam Domini cum Reliquiis, non Epiſcopi ſed Leuitæ in humeris geſtent; quibus & in veteri Lege onus idem impoſitum nouimus eſſe præceptum. Quòd ſi & Epiſcopus Reliquias per ſe deportare elegerit: non ipſe à Diaconibus in ſellulâ vehatur, ſed potiùs pedeſtri eo vna cum populis progreſſione procedĕte ad conuenticula ſanctarum Eccleſiarum, Sanctæ Dei reliquiæ per eumdem Epiſcopum portabuntur. Nota, Euchariſtiam procedente populo ad conuenticula Eccleſiarum deportare, *antiquam & ſolemnem eſſe conſuetudinem*: atque in *Arcâ Domini*, quam
Præced. §. Gregorius Turonenſis *Turrim* vocat, nos Tabernaculum & Ciborium. *Arcam Domini* & in eâ *Reliquias*, intellige non reliquias Sanctorum, ſed Sacramentorum corporis Domini, quæ vſui fidelium aſſeruabantur: nam dicit; *Sanctæ Dei reliquiæ per eumdem Epiſcopum portabuntur.*

13. Cuncta hæc euincunt, S. Euchariſtiam primordio Eccleſiæ, non modò ſepoſitam & aſſer-

aſſeruatam piorum vſui fuiſſe; verumetiam variis modis elatam; nec tectè dũtaxat, ſed & publicè. Vt dicam quod ſentio; ritus circumferendi Corpus Dominicum in Supplicationibus, mihi quidem prouenisse videtur, ex illo priſcorum ritu, quo *Præſanctificata* in dies ſequentes ſeponebant, ſepoſita poſteris diebus referebant. Præſanctificata vocantur, Sacramenta Dominici Corporis plura conſecrata, in vſum ſequentium dierum, quibus Sacerdotes corpus Domini non conficiebant, ſed vtebantur Sacramentis priùs conſecratis: quomodo nunc quoque fieri videmus in Cœnâ Domini, & ſequente Paraſceue. Præſanctificata in Cœnâ Domini, ad deſtinatum locum magnâ pompâ cum multis luminibus efferuntur: eâdem religione Paraſceue ſequente referuntur, hominum magnâ comitante, vti in proceſſionibus, frequentiâ. Græcanicæ Eccleſiæ ſolemne decretum fuit; *Quòd non oporteat in Quadrageſimâ panem benedictum offerri, niſi in Sabbato & Dominicâ.* Cõc. Laodicenſ. can. 49. Quid igitur? vtebantur Præſanctificatis: Synodus Oecumenica Conſtantinopolitana ſexta celebrata in Trullo edicit; *In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ ieiunij diebus, præterquàm Sabbato & Dominicâ, & ſanctæ Annuntiationis die, fiat ſacrum Præſanctificatorum miniſterium* Can. 52.

14. Nicolaus Cabaſilas Græcus auctor,

cùm

cùm de donis ſacris, pane & vino, quibus in Sacrificio opus eſt, ad altare celebri proceſſione ferendis, agit, manifeſtè indicat Præſanctificata ſolere maximâ pompâ & religione efferri. hæc eius verba; *Sacerdos poſtquàm cum clamore Deum glorificauit, venit ad dona, & cùm ea in caput valdè honeſtè & reuerenter ſuſtulit, egreditur: & ſic ea ferens ducit ad altare, de induſtriâ circumducens in templo propter populum, quietè & pedetentim. Ipſi autem canunt, & genua cum omni reuerentiâ & religione inflectunt, rogantes vt eorum ſit memor in donorum oblatione. Ipſe autẽ procedit comitatus lampadibus & ſuffitibus: & ita ſe habens altare ingreditur. Hæc autem fiunt quidem ad vſum: oportebat enim afferri, & in altari reponi dona, quæ ſunt ſacrificanda, ídque cum quàm maximo fieri poteſt honore & reuerentiâ. Ita enim introducebantur dona Dei.* Dona hæc erant panis & vinum ante conſecrationem: & ita à Sacerdote ad ſacrificium ferebantur, populo in genua procidente, & orante Sacerdotem, vt in oblatione ſui memor eſſet, atque Deum pro ſe oraret. Non dona iſti adorabant, ſed Sacerdotem dona ferentem orabant. *Oportebat autem etiam tunc ad Sacerdotis genua procidere & orare, vt illis orationibus noſtri meminerit: neque enim eſt alius modus ſupplicationis, qui tantum poſſit, & qui magis firmam & ſtabilem nobis ſpem præbeat, quàm*

In expoſit. Liturg. cap. 24.

Indidem.

Nota.

qui

qui ſit per hoc venerandum Sacrificium, quod impietates & iniquitates mundi gratis purgauit. Siqui autem eorum, qui Sacerdote cum donis ingrediente, humi procumbunt, tamquam corpus & ſanguinem Chriſti, dona quæ deferunt adorant & alloquuntur: ab ingreſſu præſanctificatorum donorum decepti ſunt, ignorantes differentiam huius & illius Sacrificij. hoc enim in ipſo ingreſſu non ſacrificata habet dona, & nondum perfecta: illud autem perfecta & ſanctificata, & corpus & ſanguinem Chriſti. Indicat auctor magnâ pompâ cum luminibus & odoribus Præſanctificata in templo coram populo deportata, quæ de geniculis adorabantur. Eadem cùm populus cerneret in donorum necdum ſanctificatorum elatione: nonnulli ſimpliciores ea adorabant, & alloquebantur veluti Sacramenta corporis & ſanguinis Domini, ſed decepti ignorantiâ. Hinc mihi quidem videtur potiſſimùm promanaſſe ritus, publicè in Supplicationibus ter ſanctam circumferendi Euchariſtiam. Sed tamen iudicium meum in aliorum iudicium mitto.

15. Quapropter ante annos circiter quadringentos Honorius PP. III. ritè ex more priſcorum ſanciuit: *Ne propter incuriam Sacerdotum diuina indignatio grauiùs exardeſcat, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus à Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingu-* Lib. 3. Decretal. de celebratione Miſſar. c. Sanè.

lari, mundo & ſignato, ſemper honorificè collocata, deuotè & fideliter conſeruetur. Sacerdos verò frequenter doceat plebem ſuam, vt cùm in celebratione Miſſarum eleuatur hoſtia ſalutaris, ſe reuerenter inclinet: idem faciens, cùm eam defert Presbyter ad infirmum. quam in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, ferat & referat manifeſtè ac honorificè ante pectus, cum omni reuerentiâ & timore; ſemper lumine præcedente, cùm ſit candor lucis æternæ: vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur.

16. Animum aduerte. In primis docet S. Euchariſtiam certo loco aſſeruandam. id verò cui fini, iam declarauimus. Deinde in Miſſarum oblationibus decernit, vti etiam cùm effertur ad infirmos pro Viatico, Euchariſtiam adorandam: nam iubet plebem ſe inclinare. Iure faciant homines, quod faciunt Angeli. Audi B. Ioannem Chryſoſtomum; *Ego commemorantem olim quemdam audiui, cùm diceret, ſenem quemdam virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo eſſe: ac per illud quidem Sacrificij tempus derepentè Angelorum multitudinem conſpexiſſe, fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium; denique ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente rege videat. id quod facilè mihi ipſi perſuadeo,* (quod antè dixit) *vel ex tanto illo*

Lib. 6. de Sacerdotio.

Sacrificio, quod tum peragitur, quando locus altari vicinus in honorem illius qui immolatur Angelorum choris plenus eſt.

17. Addit ex hoc Pontifex, *lumine præcedente* opus eſſe, Euchariſtia cùm effertur. Etiam nunc ſeruatur in templis, in Supplicationibus, quod docéte in Actis Paullo ſeruatũ legimus: *Vnâ Sabbati cùm cõueniſſemus ad frangendũ panem, Paullus diſputabat cum eis profecturus in craſtinum. protraxitq́ſermonem vſq; ad mediam noctem. Erant autem lampades copioſæ in cœnaculo, vbi eramus cõgregati.* Quorſum lumina? non tam ad pellendas tenebras, quàm ad reuerentiam fractionis panis Euchariſtiæ; qui primâ, hoc eſt, Dominicâ die frequentiſſimè ſumebatur. Act. 20. 7.

18. Porrò quandoquidem Chriſtus dicit; *Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*: gratiſſimum eſſe Deo ter ſanctam Euchariſtiam elatam cum pietate ſequi, vti Deum iure adorandum; ſub vno id accipe argumento. Rudolfus Comes Habeſpurgenſis pietate ſuam gentem ad ſceptra regnaque ſubuexit. *Venatum fortè, vt nobilitas ſolet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat, & viæ fractæ & ſordentes: ecce occurrit Sacerdos venerabilem & myſticam hoſtiã, extremum ſolatium, ægro laturus: & occurrit pedes. Is aſpectus pium pectus perculit nec ſine indignatiunculâ aliquâ equo deſilit: &, Me vehi, te* Mat. 24. 28. Luc. 17. 37 I. Lipſius Monit. Polit. c. 2. mon. 3.

qui Seruatorem meum portas, pedibus incedere? indecorum vel impium ſit: conſcende, & equum hunc cape. Iuſſio, non preces erant: paret ille, & iſte capite reuelato humilis ſequitur, ad ipſas ædes ægri deducit, ab iis eodem habitu reducit. Iam domi & apud ſe Sacerdos erat: qui officio attonitus, & mente à Deo motâ, benè abeunti dixit, & ſimul Imperium ipſi poſteríſque prædixit... Res illa certa, & rata prædictio fuit, ac fidem etiamnunc ab euentis habet.

CAPVT XX.

De ſodalitio Chordigerorum S. Franciſci.

1. ANTIQVITVS approbatum morem Supplicationum Eccleſiaſticarum, & in eis pios varioſque ritus, ex ipsâ antiquitate diduxi: quos contra, ſi quis Iudæ Iſcariotis genio Mat. 26. 9. liuidus inſuſurret; *Vt quid perditio hæc?* quorſum iſta, quæ nuſquam Chriſtus ſeruanda præcepit? reſpondemus, multa fieri laudabiliter à piis; etiamſi non iuſſa, tamen grata Deo eſſe.

Dauid rex citra præceptum Dei, cogitabat ædificare domum Domino, non iuſſus ſed ſponte. Deo placuit eius pietas, & mercedem 2. Reg. 7. 11. prædicēte prophetâ Nathan accepit; *Prædicit tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus*. Magdalena conuiuio ſe vltrò ingeſſit;

attulit

attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retrò ſecus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Iniuſſa fecit hæc Chriſto, qui gratiam retulit. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm... Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* Luc.7.37.

2. Chriſtus Dominus iuſſit diſcipulis adducere aſinam alligatam & pullum cum eâ: fecerunt hoc illi iuſſi, ſed & non iuſſi *impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in viâ. alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in viâ: turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes; Hoſanna filio Dauid! Benedictus qui venit in nomine Domini! hoſanna in altiſſimis!* Phariſæi (vt noſtri Nouatores) dixerunt Chriſto; *Magiſter, increpa diſcipulos tuos:* quibus ipſe ait; *Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Grata ſibi cenſuit obſequia Chriſtus, à populo ſponte delata: in tantum, vt lapides aſſeruerit in illâ proceſſione cantaturos, niſi canerent fideles. Et certè videmus noſtro ſilentio lapides clamare. Audi Origenem; *Quando nos loquimur, lapides ſilent: quando nos tacemus, lapides clamant: poteſt enim Dominus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quo tempore nos tacebimus? quando* Mat.21.2. Luc.19.39. Hom.37. in Lucam.

refrixerit charitas multorum; quando illud, quod à Saluatore prædictū eſt, fuerit impletum; Putas veniens Filius hominis inueniet fidem ſuper terram? Propterea Domini miſericordiam deprecemur, ne nobis tacentibus lapides clament: ſed loquamur, & laudemus Deum, &c.

3. Hæc eò ſpectant, vti ſcias, complura ritè pieque exerceri à piis, quæ tamen Sacræ litteræ nobis facienda non præſcribunt. In his funes, quibus nō modò Fratres inſtituti D. Franciſci, ſed & Diuo Franciſco deuoti cinguntur, publicè in Sodalitium funigerorū abſcribendi: tum etiam in ſupplicatione Traiectēſi noſtrâ (quam mox deſcribam) proceſſuri, Nobiles, Primores, ciues principales, & quotquot huic pietati animum applicuerunt. Non eſt rubori gerere funes adſpectu pietatis: cū ſciamus cęleſtem Patrem, Filium ſuū Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum funibus voluiſſe vinciri, vt nos vinculis peccatorum conſtricti,
Luc. 12. 35 ſolueremur; ac deinceps lumbis pręcinctis lucernas ardentes habētes in manibus, obſequio Chriſti nos obligatos eſſe nouerimus. Nec vereor dicere; funes noſtros, & Sodalitij funigerorum, teſſeras eſſe, ſicut & pleraque cœtuum aliorum ſymbola, Roſaria dico, & corrigias, & his ſimilia, quibus meliores Chriſtiani internoſcuntur.

4. Priſcis temporibus teſſera hoſpitibus dabatur & amicis, quâ inter ſe noti, ab amicis

acci-

accipiebantur hoſpitio: atque inde ius quoddam neceſſitudinis tranſibat ad poſteros. In veſtibus etiam figuræ quædam, Teſſeræ dicebantur, à quibus veſtes teſſeratæ. Plinius de pictore Zeuxide; *Opes quoque tantas acquiſiuit, vt in oſtentatione earum, Olympiæ aureis litteris in palliorum teſſeris intextum nomen ſuum oſtentarit*. Erant apud Chriſtianos initio Eccleſiæ huiuſcemodi ſigna, quibus inter ſe noſcebant. Tertullianus auctor vetuſtiſſimus, teſtis eſt, cuius hæc verba; *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis: quæ iura non alia ratio regit, quàm eiuſdem Sacramenti vna traditio*. Inter ſymbola Catholicæ religionis *Conteſſerationem* recenſet: *per quam hoſpitalitatis certum quoddam ſignum intelligit; quod qui ferret, vt Eccleſiæ Catholicæ legitimus filius, quocùmque pergeret, à fidelibus æquè Catholicis honorificè recipiebatur hoſpitio. Quod quidem ſignum cùm adulteraſſent hæretici, à Catholicis noſcitur ſæpè mutatum, ac litteris commiſſum, quas Patres in Nicæno Concilio nominauere formatas*. Iulianus Imperator, deſertor Chriſtianæ religionis, *præcipuè zelatus dicitur notas litterarum Epiſcopalium, quibus ſolent alterutris ſcribentes commendare peregrinos, & vbi proficiſcuntur, & à quibus veniunt, modis omnibus indicare, & ſolatia promereri; tamquam noti & amici ſint, teſtimonio directi ſignaculi*; ita conatus

Lib. 35. cap. 9.

De Præſc. cap. 20.

Baron. to. 1. Annal. An. Chri. 75.

Paul. Diac. lib. 11. hiſt. Miſcel. Iuliano.

natus profligatâ religione Chriſtianâ reducere paganiſmum.

5. Itaque iure Teſſeras voco Sodalitij noſtri funes, & huius ritus cinctum: quem ſi ſpectet impietas, grande ludibrium; ſi pietas, grande ſolatium, imò & myſterium: atque id aſtruam exemplis ſacræ Scripturæ. Humilitatis eſt argumentum & pœnitentiæ, funibus cingi, pio noſtro adſpectu. *Benadad Syriæ rex* prœlio ſuperatus ab Iſraëlitis, funibus & ſaccis veniam delicti conſequutus, etiam gratiam victoris meruit. Suggeſſere fugientes ſerui

3. Reg. 20. 30. victo regi ſanum conſilium; *Ecce, audiuimus quòd reges domus Iſrael clementes ſint: ponamus itaque ſaccos in lumbis noſtris, & funiculos in capitibus noſtris, & egrediamur ad regem Iſrael: forſitan ſaluabit animas noſtras. Accinxerunt ſaccis lumbos ſuos, & poſuerunt funiculos in capitibus ſuis, veneruntque ad regem Iſrael, & dixerunt ei; Seruus tuus Benadad dicit; Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait; Si adhuc viuit, frater meus eſt.* Teſtis Ioſephus Iu-

Lib. 8 Antiq. Iudaic. c. 8. dæus; *Induere ſaccos, & reſtibus capita redimire, priſcus apud Syros ſupplicandi mos fuit.*

6. Hoc habitu pœnitentes veniam deprecantur offenſæ: quia argumentum eſt animi humiliati. Cuius adſpectu nonnumquam

Iob 12. 18. ipſe Deus *baltheum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum.*

*Hieron. hoc loco. *In baltheo, regnantis gloria intelligitur: in fune, ignominia regno depoſiti;*

depoſiti; ſicut Sedechiæ & Manaſſæ contigit Deo iubente; ſiue populo Iudæorum, qui per infidelitatem ſuam à Chriſti regno diſtinctus eſt. Sed & nunc renati in Chriſto reges, ſunt omnes in adoptionem filiorum æterni regis vocati. Verè ab illâ honoris ſublimitate meritò diſtinguuntur, quicumque ea quæ pœnitentiæ funibus digna ſunt, perpetrarunt; ſicut ait Propheta, pro Zonâ reſte cingeris. Iſaias Propheta aduerſum filias Sion, ex ore Domini, quia nimius luxus erat veſtium, prædixit in hæc verba; *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro Zonâ funiculus, & pro criſpante crine caluitium, & pro faſciâ pectorali cilicium*. Captis Hieroſolymis iſta euenere: nam in hodiernum diem Iudæi iugum ferunt captiuitatis, cui ceu vinculis perpetuò ſunt innexi. Iſa. 3. 23.

7. Eſt itaque humilitatis ſignum funibus cingi, vt coneinur funibus peccatorum exſolui. *Et quidem in veritate lumbum accingit, qui ſecundùm Deũ cingitur: cuiuſmodi erat Petrus, quum manibus expaſſis accingeretur ad bellũ pro Chriſto obeundum, ad exhibendum teſtimonium pro veritate, his qui ipſum prouocabant ad certamen vſque ad mortem. Sanctus etenim cingitur virtute: ait enim Scriptura; Deus qui circumcingit me virtute. Qui autem zonam hãc perdidit, vinculo cingitur ſuorum peccatorum; quòd ſinguli quique vinculis ſuorum peccatorum conſtringuntur: quorum ſymbolum illud erat flagel-* Baſil. in 3. cap. Iſa. Pſal. 17. 33

lum è funiculis contextum, quo ex æde ſacrà expulſi ſunt ſancta prophanantes; Domino per hoc declarante, quia vnicuique flagella fiunt nexus & plicaturæ peccatorum, & ſuis quiſque peccatorum funiculis ſe circumplectentibus flagellatur. Quiſque noſtrûm ingenuè fateatur oportet; *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Enimuerò, *iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum conſtringitur.* Porrò quia nemo poteſt dicere; *Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato:* ſumuntur funes ex Eccleſiæ ritu, argumento pœnitentiæ & humilitatis, in Chriſti memoriam & D. Franciſci; vt conemur in veram libertatem à peccatis aſſeri, vinculis peccatorum diſruptis; ne tandem *ligatis manibus & pedibus mittamur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.* Id certè continget illis, qui nunc erroris & impietatis tenebris interioribus immerſi, pios Eccleſiæ ritus, quia non intelligunt, irrident.

Pſal. 118. 61. Prou. 5. 22. Ind. 20. 9. Mát. 22. 13.

8. Nec modò pœnitentiæ ſignum eſt hic cinctus, ſed & ſolatium. Quotquot verè pœnitentes, confeſſi, ſacraque communione corporis Chriſti dignati, conſecrato ritè fune (chordam benedictam appellant) à Prælato inſtituti Diui Franciſci cincti, & albo Fraternitatis funigerorum inſcripti, ſincerè quæ præſcribuntur exercent, ſpe condonationum ſiue Indulgentiarum, quæ piis promittuntur:

citra dubium hi ſunt Eccleſiæ Romanæ veri filij, veri Chriſtiani, imò & calidiores Catholici, quibus eiuſmodi conteſſeratio curæ & cordi eſt, aliis vti frigidioribus non eſt. Teſſeras Eccleſiæ & ſymbola tenent. Agnoſcunt Romanam Eccleſiam, Apoſtolicam eſſe, vnicam Arcam Noë. quam qui in terris non habent matrem, nec in cælis Deum habebunt patrem. Agnoſcunt etiam Romanum Pontificem, Vicarium Chriſti in terris, Petri ſucceſſorem, cui à Chriſto concredita eſt cura paſcendarum ouium. Credunt condonationibus Pontificum, quas Indulgentias vocamus, pios viuentes, vitaque defunctos à pœnarum reatibus exſolui poſſe. Credunt Sanctorum cum Chriſto regnantium interuentu viuos mortuoſque iuuari. Credunt, tenent, reprobant, quidquid Eccleſia Catholica credendum, damnandumque cenſuerit. Integra fides meretur, vt *ſancti adipiſcantur repromiſſiones.* Heb. 11. 33.

9. Hæc fides, hæc pietas, & ad præſcriptum Pontificis, exercitatio, licet non valdè operoſa, ſed facilis ſit, tamen magnam peccatorum remiſſionem impetrare poteſt: tantam etiam, quæ ex mancipio diaboli & gehennæ, filium efficiat Dei, heredem gloriæ ſempiternæ. Iure merito vocamus Indulgentiam: quia pœnas temporarias in vitâ, ſiue poſt hanc vitam in purgatorio nobis luendas, non ad iuſtitiæ lancem

cem

cem exæquamus,ſed facili labore redimimus. Filius prodigus ex illâ longinquâ regione ad indulgentiſſimum patrem rediens, culpam
Luc. 15. 21 confeſſus; *Pater peccaui in cælum,& coram te! iam non ſum dignus vocari filius tuus*. hæc inquit; cùm ſine morâ *dixit pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum; & date annulum in manum eius, & calceamẽta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*. Quàm facile veniam deprecatus in gratiam rediit? eumdem in modum hîc pro labore & exercitatione paruâ, magna multaque remittuntur pœnarum debita.

10. Viden' hîc funiculos Adæ,quibus ad ſe nos attrahit Deus, & vincula caritatis? ita
Oſee 11. 4 promiſit; *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis*. Enimuerò *tunc in funiculis*
Rupert. Tuit. in- didem. *Adam traxit nos, vtpote factus filius Adam, ſiue filius hominis,qui funiculi ſunt caritatis. In eo namque quòd factus eſt ex carne Adam filius hominis, miro modo nos ſibi colligauit, & traxit ad ſe in funiculis caritatis*. Deinceps ſummâ beneuolentiâ ſemper aduerſum nos fuit & humanitate: non duros labores ſubire coëgit, minima exigens,vt maxima reddat; vt cui miſereri ſemper proprium ſit & parcere. Quiſquis igitur fune cingeris nobis conteſſeratus, hoc animo eſto: & ſatage, ne vinculis impliceris carnis, mundi, diaboli: facilè iſti funes inii-

iniiciunt, quibus miſeri peccatores conſtrin- Amb. Ser. 8. in il. Pſ. 118. *Funes peccat. circ.*
guntur. *Noli ad ſæcularia mentem animúmque deſigere: ſed circumſpice oculis animæ diligenter, quia * pluit Dominus laqueos ſuper peccatores*; *Pſal. 10. 7
ne cadentes illigare te poſſint, quos poteris euitare, ſi legem Domini non obliuiſcaris. Etenim etiam qui ligatus eſt: ſi ſibi ſit conſcius libertatis, obliuiſci libertatem ſuam non deſinit, & cauſſam nonnumquam dicit è vinculis, eámque ſibi legum præſcripto defendit, ac iudicio frequenter abſoluit. Ergo & tu ſi peccaueris, memor eſto legis, memor eſto Christi, qui te liberat dicens; Ego ſum, ego ſum, qui deleo iniquitates Iſa. 43. 25.
*tuas, & memor non ero .... * Sequamur* *Ambroſ. indidem paullò antè.
ergo vincula Chriſti, fugiamus vincula venatorum: ne dum incidimus, dum ignoramus, laqueos eorum pes noſtræ mentis incurrat, ne animæ noſtræ ceruicem nexibus inſeramus.

11. Huic fini Sodalitia ritè inſtituta, Confraternitates vocăt; approbat Eccleſia, etſi ſint qui improbent: ſigna habent & ſymbola quibus agnoſcuntur. Et vtiliter repeto verba Tertulliani ſuprà poſita; *Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis: quæ iura regit eiuſdem ſacramenti vna traditio.* Video communicationem pacis ab eruditis viris intelligi, veterem miſſionem ter ſanctæ Euchariſtiæ aduenientibus Chriſtianis: nec mihi dubium, corporis Domini ſumptionem acceſſiſſe, in §. 4.

teſſeram & ſymbolum vnitatis & commu-
nionis: ex quâ *appellatio fraternitatis*. Quia
ab eodem patre renati Chriſtiani, fratres ſunt;
& proinde omnium vna fraternitas, commu-
ne nomen ab initio omnium Chriſtianorum:
Apologet. c.38. cuius auctor Tertullianus; *Fratres nos voca-
mus, fratres veſtri ſumus, iure naturæ matris
vnius: etſi vos parum homines, quia mali fra-
tres. At quanto digniùs fratres & dicuntur &
habentur, qui vnum Patrem Deum agnouerunt,
qui vnum Spiritum biberunt ſanctitatis, qui de
vno vtero ignorantiæ ad vnam lucem apparue-
runt veritatis?* Porrò vna eſt Eccleſia Catho-
lica; & id quidem conſtat: ſunt tamen plures
Eccleſiæ, velut membra illius corporis magni;
Cap.2.& 3 vt *Eccleſia Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ,
Sardis, Philadelphiæ, Laodiciæ*, quas in Apoca-
lypſi legimus. Nunc quoque variæ Eccleſiæ,
Toletana, Mediolanenſis, Colonienſis, ple-
Tertul. De præſcript. cap.20. ræque aliæ. *Tot ac tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa
ab Apoſtolis prima, ex quâ omnes. Sic omnes
primæ, & omnes Apoſtolicæ, dum vnam omnes
Pſal.44.10 probant vnitatem*. Vna illa varia eſt, circum-
amicta varietate. Hoc ſenſu, totius Eccleſiæ
vna eſt fraternitas, & multæ fraternitates.
Act.4.32. 12. Initio Eccleſiæ *multitudinis creden-
tium erat cor vnum & anima vna*; quoad po-
tuere vnà habitarunt: ſed creſcente numero
diſcipulorum; quo perfectiùs Apoſtolicæ vitæ
ſectarentur inſtitutum, monachiſmum in-
duxe-

duxerunt, ipſis etiam viuentibus Apoſtolis, cuius rei Dionyſius Areopagita teſtis, monaſticæ vitæ inſtitutum ſcribit & exponit, ipſe diſcipulus Apoſtolorum. *Apoſtoli ſtatim vt Chriſtus eſt morte affectus, officij memores, conuentus facere, prout in Actis patet, cæperunt: vbi orando, conſulendo, agendo, rem Chriſtianam propagandam, mirandum in modum curabant; non ſecùs atque illi, qui eorum opera religionem amplexi ſint, poſteà fecere. Vnde vſus facilè ad poſteros manaſſe videtur, vt prophani quoque homines cæperint Apoſtolorum more, diuini cultus cauſſâ, inſtituere ſocietates, ſeu, vt ita dicam, fraternæ ſocietatis collegia, illiſque magiſtros dare, qui ſtatutis diebus reliquos ſocios conuocarent ad cærimonias nonnullas concelebrandas.* Inde tot ordines, tot inſtituta piorum, quę in varias ſocietates abierunt, quas Confraternitates appellant.

De Eccleſiaſt. Hierarch. c.6. Polydor. Virgil. l.7. de inuentorib. c.6.

13. Sanctus Antonius à Paduâ ex Ordine Fratrum Minorum, cùm ardentiſſimè concionaretur in Italiâ, maximè Patauij: *cæperunt tum primùm homines cateruatim ſeſe verberando, & pia cantica deuotè depromendo, procedere. atque ea laudabilis conſuetudo à tanto auctore profecta, deinceps ſuis eſt aucta incrementis: ita vt in omnibus ferè Italiæ locis accuratiſſimè, hodiéque obſeruetur.* Sanctus Bonauentura eiuſdem inſtituti S. R. E. Cardinalis, Doctor Eccleſiæ, Generalis totius Ordinis Minorum

Vitę S. Anton. c. 13. apud Sur. 13 Iun.

Pet. Galeſ. Prot. Apoſtol. vitæ c. 9. rum Miniſter, *Romæ inſtituit præclaram ſocietatem, quam Confraternitatem Confalonis vocant: cui certam orandi precandique normam præſcripſit, ob venerationem beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis.*

14. Et vt caput abſoluam; initium Sodalitij funigerorum ſumptum lego à B. Dominico. Is vt erat D. Franciſci ſtudioſiſſimus, propter virtutem & pietatem, quę veram immortalemque conciliat amicitiam, funem ſiue chordam eius, quâ cingebatur, poſtulauit: vix tandem, ſed impetrauit B. Dominicus; atque eam ſemper *ſub inferiori tunicâ geſtauit.* Acta Socior. B. Frãciſci. c. 42. Poſtero tempore Leo Papa X. conceſſit viris, feminis, geſtantibus adſpectu pietatis chordam S. Franciſci, datam tamen ab aliquo Prelato Ordinis fratrum Minorum, vt mereri poſſint Indulgẽtias Ordini Franciſcano à Sede Apoſtolicâ clementer conceſſas. Ante memoriam hominũ, collegas Sodalitij B. Mariæ, Bruxellæ, & Traiecti, Thenis etiam, in noſtris monaſteriis, funibus Frãciſcanis de collo pendentibus, in Supplicationibus publicis, vt proceſſiſſe feruntur, ita hodieque procedunt. Sixtus Papa V. Chordigerorum Archifraternitatem inſtituit, maximis Indulgentiis cohoneſtauit.

CA-

CAPVT XXI.

Celeberrimæ proceſſionis conuentus Fratrum Minorum Moſæ-Traiectenſis deſcriptio.

1. HÆC de Supplicationibus Eccleſiaſticis, & ritibus antiquitus in eis vſurpatis, mihi præſcribenda fuerunt: vt exemplis & documentis antiquitatis edocti, ſciamus ad veterem morem Chriſtianorum, proceſſionem noſtram agitari, maximâ religione & pietate in hunc modum.

Ipsâ die Paſchalis feſtiuitatis Veſperæ cùm finiuntur, Fratres cum frequentiſſimo populo, prælatam crucem antiquo ritu Chriſtianorum ſequentes, procedunt ad imaginem Diuæ Virginis: cantant illud lætum & priſcum Catholicorum Paſchale Canticum, cælitus acceptum, *Regina cæli lætare*. atque ex ſacello, eius honori & memoriæ conſecrato, quod ad dextram templi eſt, efferũt, ad Eccleſiæ medium, vbi ſublimis ſtatuitur honoranda. Nullà interpoſità morâ, incredibili pietate frequentationes incipiunt, preces & vota ciuium & aduenarum: ſed maximè noctu, vt pij quique vitent oculos aliorum, ab occaſu Solis vſque ad auroram diei ſequentis. Nec facile dictu, quanta hominum multitudo ex agris, ex vicis, & vicinis vrbibus conueniat. Numerati aliquando, cùm id præſidiarij

An.1608. excubitores in mandatis haberent, aduenisſe ſupra ſex millia virorum, præter mulieres & pueros. Curatores ſacelli, Diuæ Virginis imaginum, quæ magnâ religione exiguntur, ſupra ſeptemdecim millia petentibus diſtribuerunt, Anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, iam tum à S. D. N. Paullo Papâ Quinto datis denuntiatiſque plenariis Indulgentiis.

2. Iucundum ſpectaculum piis, videre pueros, adoleſcentes, virgines, matronas, viros corpora nuda tectos dútaxat laneis amiculis, ſiue lineis, nudis etiam pedibus D. Virginis imaginem adire, circumire, adorare; imò circum eam, & ſub eâ flexis poplitibus, ſæpiùs repere. Ex vtroque ſexu paſſim ſternuntur; oſculis & lacrymis pauimenta rigantes, veniam irarum cæleſtium deprecantur; & vota ad Deum, interueniente Virgine Matre, prout ſua quemque mala cogunt, vertunt. Plurimi Supplicationi viam antiquitus deſtinatam, non modò ſemel, ſed multoties præeunt, faculas ardentes geſtantes. Multi à capite vſque ad genua, ferreis armis nuda corpora tecti, etiam in genibus repentes, totum illud, & quidem non breue iter proceſſionis conficiunt, & ferreas ſubinde graui pondere cathenas pedibus illigatas trahentes.

3. Dominicæ Reſurrectionis ſecundâ feriâ, proceſſioni noſtræ decretâ, finitâ concione ad

horam

horam nonam, toto Senatu atque Magiſtratu; cum vrbis primoribus conuenientibus ad monaſterium, ſummum ſacrum in Diuæ Virginis honorem celebratur, cùm ciues omnes & aduenæ, Deiparæ Matri obuiàm ruunt. Sub finem Sacrificij, chordis S. Franciſci primoribus quibuſque & nobilibus, diuoq́ue Franciſco deuotis, diſtributis; atque ſingulis eam publicè ſuper veſtes ab humeris ad aduerſa latera geſtantibus, in formam teſſeræ: procedit peractis Myſteriis inſtituta Supplicatio, velut acies caſtrorũ ordinata. Quemadmodum in caſtris expeditiſſimorum militum variȩ ſunt cohortes & legiones, varia ſigna atque vexilla diuerſæ generis armaturæ, ſed tamen vni militant Principi: ita in iſtâ religioſiſſimâ proceſſione varia deuotio, ſed diuerſa ſchemata; vbique multa gratia, quia grata diuerſitas, ſed vna veraq́ue pietas: quia Chriſto faciunt, quod eius Matri. *Debita venerationis ſumma ad Chriſtum reſpicit, ex cuius plenitudine roratum eſt deſuper, quòd Maria prædicatur gratiâ plena. Manifeſtum eſt indiuiduam eſſe Matris & Filij gloriam, & commune eſſe vtriuſq; præconium, cuius definitio omnem ſuperat intellectum.* Enimuerò* *nulli hominum vmquam conceſſum eſt, tanti vti priuilegio muneris, vt vna perſona eſſet in Trinitate, quod de ſubſtantiâ ſuâ genuit, & eſſet Deus. Ideò quæſo ſileat inſipientia carnis, & celebretur* (Arnold. Carnot. de laudibus B. Mariæ tom. 1. Biblioth. Pa. *Hildeph. Archiepiſ. Toletan. Ser. 3. De aſſumpt. B. Mariæ, tom. 9. Biblioth. Pat.)

dignè cum laudibus feſtiuitas Matris Domini & Saluatoris noſtri; tanto honore digniſſima, quantum eſt veneranda ex gratiâ: quia eius honor & gloria, laus & gratiarum actio eſt, Redemptoris.

Paullinus Natal. 3. Felicis mart.

Aurea nunc niueis ornantur limina velis:
Clara coronantur denſis altaria lychnis:
Limina ceratis adolentur odora papyris:
Nocte diéque micant; ſic nox ſplendorq́; diei
Fulget: & ipſa dies, cæleſti inluſtris honore,
Plùs micat, innumeris lucẽ geminata lucernis.

4. Ceterùm quia Chriſti militibus fas non eſt procedere ſine ſignis militiæ Chriſtianæ: Crucem frater aliquis præfert, quam magna mox ſequitur manus virorum, feminarum, puerorum. Nec vulgi more, ſed ritu ſingulari Crucem ſequuntur, quia crucem etiam tollũt. Omnes ſolis laneis aut lineis amicti, nudis pedibus variã lumina geſtãtes, habitu publicè pœnitentium; ſummo ſilentio, calidas preces & lacrymas fundentes, totum Supplicationis circuitum conficiunt. Vibrat illud in illorum auribus; *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Porrò, qui ſequitur, quo fructu quæris? Chriſtus edicit;

Matth. 10. 38.

Iuuenc. l. 3. Carm. Euang.

En ſi quis veſtrûm veſtigia noſtra ſequetur,
Abneget hic ſeſe, corpuſq́; animamq́; recuſãs;
Atque crucem propriam comitatibus addere noſtris
Gaudeat, amiſſam redimet cui gloria vitam.

5. Anno

5. Anno octauo ſupra milleſimum ſexcenteſimum, mille eoque ampliùs hoc ſchemate proceſſiſſe numerati ſunt; inter quos non pauci viri, qui galeis ferreis, ne noſcerentur, caput incluſerant. Sed & matres complures ſecum vixdum apta greſſibus cara pignora trahebant: nonnullæ infantulos & lactentes eodem pœnitentium ſchemate ad vbera circumferebant. Anus quoque grandæua, quotannis hoc ritu ſolita procedere, cùm ingraueſcente morbo & ætate non poſſet; vt fidem ſuam liberaret, eâdem amiculorum formâ grabatulo circumlata eſt. Sub hoc vexillo ponè ſequuntur, qui in Sodalitio flagellantium, ſub curâ & directione ſunt Collegij Societatis Ieſu. Hi ſaccis operti, tectâ facie, pedibus nudis (quo ritu in cœnâ Domini proceſſionem ſuam celebrant) magnâ pietate & pulchro exemplo Supplicationem noſtram cohoneſtant, viri, adoleſcentes, pueri.

6. Altera crux ſequitur Labari formâ, quo labor, vnà & merces præmiumq́; laboris indicatur, & muneratur. Sequũtur è veſtigio omnes noſtri fratres, in ſacramẽta Chriſti iurati, cantantes Domino, magnis vocibus benedicẽtes Diuæ Virgini *benedictæ inter mulieres*. Mox Luc. 1. 42. ſequuntur primarij ciues; deinde Sacelli Diuæ Virginis Curatores, tedigeri omnes ante ſacram Diuæ Virginis imaginem, de quâ nunc agimus; quam lectiſſimæ probiſſimæq́ue Vir-

 gines,

gines, quà it Supplicatio, humeris ſublatam religioſiſſimè ferunt.

7. Imaginem Diuæ Virginis cohors ſequitur armatorum, qui ſuſceptis votis, ſacramenta hæc Deiparæ Matri in ſingulos ſiue certos annos dixerunt. Recenſi anno octauo ſupra milleſimum ſexcenteſimum octoginta ſex, pænè omnes faculas geſtantes, corpora nuda (tectis tantummodò, quæ natura dictat velanda) ferreis armis induti, à capite vſque ad pedes. Capita ferreis galeis muniebantur; pectus & brachia ferreis thoracibus & brachialibus; crura & tibiæ, ipſi quoque pedes panopliâ militari, qualis eſſe ſolet equitum armatorum in acie pugnantium. tales ferè omnes. plerique dextro quoque pede cathenam magni trahunt ponderis, quò procedant laborioſiùs. Subligacula linea quæ naturam tegebant, fluentem largiter oſtendebant ſanguinem, ex morſu armorum. Nec facilè quis credet, quàm multis ſanguineis guttis via, quà proceſſio tendebat, ſpargeretur. Alij herbas, frõdes, flores oculis & odori iucundos, Chriſto iaciebant & eius Matri: iſti (quod habebant pretioſiſſimum) ſanguine ſuo viam purpurabant, quò peccata eluerent, & flammas igneſque gehennæ ſopirent.

8. Hos lectiſſimos milites, velut cohortem Prætoriam, Magiſtratus vrbis ſequitur: Prætores, quorum alter Præſulis Leodicenſis,

alter

alter Ducis Brabantiæ: tum Conſules & Senatores, & qui Vrbi ab officiis, tedigeri omnes ante Venerabile Sacramentum, quod maximâ profundiſſimaque reuerentiâ ſub ſerico cælo geſtatur. Claudunt agmen proceſſionis, ciuitatis Gubernator, tota nobilitas, magna denique multitudo omnium ſexus vtriuſque ætatum & conditionum, ciuium & aduenarum. Et verò conſummata Supplicatio non ſtatim finem imponit deuotioni: toto ſequente octiduo, diu noctuque frequentationes, viſitationes, circuitus, quà præiuit proceſſio, à plurimis iterantur.

9. Laudes, preces, vota ſingulorum hæc ſunt; *Te iam nos, ô pura & immaculata, eadémque benedicta Virgo, magni Filij tui, vniuerſorúmque Dei Mater inculpata, integra atque ſanctiſſima, deſperantium atque reorum ſpes, collaudamus: tibi vt gratiâ pleniſſimæ benedicimus, quæ Chriſtum genuiſti Deum & hominem: omnes tibi procidimus, omnes te inuocamus, & auxilium tuum imploramus. Eripe nos, ô Virgo ſancta atque intemerata, à quacumque neceſſitate ingruente, & à cunctis tentationibus diaboli. Noſtra conciliatrix & ADVOCATA in horâ mortis atque iudicij eſto: nóſque à futuro inextinguibili igne, & tenebris exterioribus libera, & Filij tui gloriâ dignare, ô Virgo & Mater dul-* B. Ephrem in Threnis B. Mariæ.

 ciſſima

ciſſima ac clementiſſima! Tu ſiquidem vnica, apud Deum Chriſtianorum, ſpes noſtra es ſecuriſſima & ſanctiſſima; cui gloria & honor, decus atque imperiũ in ſempiterna ſæcula ſæculorum. *Per te acceſſum habeamus ad Filium, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis: vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis: & humilitas Deo grata noſtræ veniam impetret vanitati. copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum; & fecunditas glorioſa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina noſtra!* MEDIATRIX *noſtra!* ADVOCATA *noſtra! tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos præſenta. Fac ô benedicta, per gratiam quam inueniſti, per prærogatiuam quam meruiſti, per miſericordiam quam peperiſti: vt qui te mediante fieri dignatus eſt particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriæ & beatitudinis ſuæ.*

*Bern. Ser. 2. De aduẽt. Dom.

Tu verò, quo fructu hæc talia fiant, rogas? Nimirum, quem bonus Deus honori & meritis ſuæ ſacratiſſimæ Matris, ſtupendis in prodigiis & miraculis, cùm ante hominum memoriam, tum etiam noſtro æuo declarauit, & cottidie declarat: quæ nunc ex ordine perſcribere pergo; ſi priùs oſtendero, quando Diua noſtra cœperit miraculis illuſtrari.

CA-

CAPVT XXII.

Quando cœperint à Diuâ Traiectenſi miracula coruſcare.

1. A MVLTIS magniſq; miraculis, in famâ & cultu vicinis vrbibus & pagis, *Diuæ Virginis Traiectenſis* imago eſt: quòd ad illam, & ab illâ variorum morborum & incommodorum certiſſima medicina fuerit, & etiam nunc ſit. Plurimi qui opem popoſcerunt, impetrarunt. Plurima miracula patrata, ſed non obſeruata, nec conſignata comperio. Viri grandæui publicè conteſtati ſunt, ante hominum memoriam ad imaginem hanc ſtupenda miracula frequentata: id quod ex epitaphio, atque illi inſcriptâ oratione F. Nicolai Harlaer, cuius ſuprà mentionem fecimus, colligere poſſumus. Cap. 4. §. 2.

Sed priuſquàm ad ea perſcribenda venio, præſcriptum volumus, *Deum eſſe, qui facit mirabilia ſolus*. Sed tamen *per Mariam adeſt ægrotantibus medicus: in tenebris confidentibus illuxit iuſtitiæ Sol; tempeſtate iactatis factus anchora portúſque tutiſſimus; Deo inuiſis & inimicis reconciliatio; captiuis redemptio; in bello verſantibus munitiſſimum propugnaculum, ille nimirum qui eſt pax noſtra.* Et tibi, quicumque pius es, adfirmo, *non dubium eſſe, illam quæ meruit pro liberandis ferre pretium, poſſe im-* Pſ. 71. 18. Chryſoſt. Orat. in S. Mariæ Annunt. apud Sur. 25. Martij. Hier. to. 9. epiſt. 1.

 partiri

partiri ſuffragium liberatis. Nam certiſſimè conſtat apud omnes, niſi impij ſint & imperiti; *Diuinum ſpiritum in creaturâ eſſe per eſſentiam & potentiam, cui nihil impoſſibile eſt & miraculoſum; qui ad honorem Sanctorum ſuorum miracula operatur.*

Cæſarius Heiſterb. l. 7. Illuſt. mira. c. 46.

Aug. 10. de Ciuit. Dei. c. 12.

2. *Porrò autem quæcumque miracula, ſiue per Angelos, ſiue quocumque modo, ita diuinitus fiunt, vt Dei vnius, in quo ſolo beata vita eſt, cultum religionémque commendent: ea verè ab eis, vel per eos, qui nos ſecundùm veritatem pietatémque diligunt, fieri, ipſo Deo in illis operante, credendum eſt. Neque enim audiendi ſunt, qui Deum inuiſibilem viſibilia miracula operari negant: cùm ipſe etiam ſecundùm ipſos fecerit mundum, quem certè viſibilem negare non poſſunt. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profectò minus eſt quàm totus hic mundus; id eſt, cælum & terra, & omnia quæ in eis ſunt, quæ certè Deus fecit. Sicut autem ipſe qui fecit; ita modus quo fecit, occultus eſt & incomprehenſibilis homini. Quamuis igitur miracula viſibilium naturarum videndi aſſiduitate viluerint: tamen cùm ea ſapienter intuemur, inuſitatiſſimis rariſſimíſque maiora ſunt. Nam & omni miraculo quod fit per hominem, maius miraculum eſt homo. Quapropter Deus qui fecit viſibilia cælum & terram, non dedignatur facere viſibilia miracula in cælo vel in terrâ, quibus ad ſe inuiſibilem colendum excitet animam,*

adhuc

adhuc viſibilibus deditam. Vbi verò & quando faciat: incommutabile conſilium penes ipſum eſt; in cuius diſpoſitione iam tempora facta ſunt, quæcumque futura ſunt. Nam temporalia mouens, temporaliter non mouetur. nec aliter nouit facienda quàm facta. nec aliter inuocantes exaudit, quàm inuocaturos videt. Nam & cùm exaudiunt Angeli: ipſe in eis exaudit, tamquam in vero nec manufacto templo ſuo, ſicut in omnibus Sanctis ſuis, eiúſque temporaliter fiunt iuſſa, æternâ eius lege conſpectâ.

3. Quoties igitur audis, ſiue vides per Deiparam Virginem miracula celebrari, ſiue per Angelos, ſiue per Sanctos: crede à Deo fieri, eorum afferendo honori. Atque ille *cùm auctor ſit naturarum omnium, dicimus, ... hanc eſſe voluntatem omnipotentis Dei; qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, niſi, quoniam quidquid vult poteſt, qui potuit creare tam multa.* Id. 21 de Ciu. Dei. c. 7.

4. Quàm puerile ludicrum miſellorum dicentium, Apoſtolis quidem datum patrare miracula ex Chriſti promiſſo; non autem aliis: quando Chriſtus apertè ſit pollicitus; *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.* An ſoli Apoſtoli in Chriſtum crediderunt? Si alij eorum prædicatione quoque crediderunt: cur itidem miracula non fecerint, cur nunc etiam non fiant? Nam & de illis Ioã. 14 12.

Chri-

Ind.17.20 Chriſtus loquutus eſt; *Non pro Apoſtolis rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me*. Et rurſus Chriſtus iam
Mar. 16. aſcenſurus in cælum; *Signa eos qui crediderint*
17. *hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia eiicient. Linguis loquentur nouis. Serpẽtes tollent. Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & benè habebũt.*
M.Marul. lib 2.exẽp. c.11. *Faceſſant igitur à nobis in veſtimentis ouium lupi rapaces, Dominico ſemper inſidiantes gregi. Recedant ſpinæ & tribuli, de quibus nec ficus nec vua colligi poſſunt. Procul abſit hæreticæ inſaniæ fermentum: ne puriſſima Orthodoxæ*
Mat.8.20. *fidei maſſa corrumpatur. Caueantur vulpium foueæ & volucrum nidi, in quibus Chriſtus non habet vbi reclinet caput ſuum. Quos & Apoſto-*
Rom.16. *lus cauendos rurſum præcipit, dicens; Obſeruetis*
17. *eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt; & declinate ab illis.*

CAPVT XXIII.

In miracula Diuæ Virginis ſeriò inquiſitum: diligenter ea in publico conſeſſu examinata: quorum vnum atque alterum Anno ſalutis Chriſtianæ ∞. IϽC. VIII. *patratum, enarratur.*

1. PANGO nunc, quæ potui reperire, Miracula à Diuâ Virgine Moſæ-Traiectenſi facta:

facta: quæ generis eiuſdem ſunt , in ſingula capita diſtribuens. *Ego teſtem Deum inuoco in animam meam*, me nihil niſi ex fide conſcripſiſſe, nihil ſumpſiſſe de vano aut falſo. Quare ſecurus , meæ ſubnixus teſtimonio conſcientiæ , appello & prouoco ad terribile Chriſti omnium Iudicis tribunal , quotquot his fidem derogauerint , quotquot vt falſa reiecerint, reprobauerint vt commenta. Enimuerò non ſatis habui ipſemet in ea diligenter ac ſeriò inquiſiuiſſe; viros , feminas, pueros, quibus varia ſanationum beneficia contigerunt, vidiſſe coràm & audiſſe: Senatores & publicos Notarios adhibui , qui viſa, ac relata, teſtibus etiam firmata conſignarent. Quinetiam aduocati fuere ad publicum conſeſſum Reuerendi Domini, Gulielmus Fexhius S. Theologię Licentiatus, Gulielmus Bemmelius, Adamus Brokartius, Godefridus Meydalius, Venerabilis Capituli S. Seruatij ſpectatiſſimi Canonici. atque cum his Andreas Gentius, Gulielmus Sucquettius, Nicolaus Beckmannus, inſignis Collegij B. Mariæ item Canonici. Et verò, vt ex animis penitus tollatur omnis ſuſpicio , cui numquam argumentatio deeſt; me poſtulante ab ampliſſimo Magiſtratu Traiectenſi deſignati fuere Clariſſimi Viri, qui examinationi vnà cum prædictis intereſſent, Andreas Eyckius, Laurentius Groteclaſius, ambo tunc Exconſules, & Vr-

2. Cor. 1. 23.

& Vrbis Senatores, nunc II. Conſules; Gerardus Drieſius, Lambertus Vrientzius, item Senatores noti probatiſſimique. Hos habui aſſeſſores, hi publicè mecum in miracula inquiſiuerunt; relata, depoſita examinauerunt. ipſos qui ſenſerunt beneficia, teſtes quoque non ſecundæ notæ, non etiam domeſticos, ſed nemini obnoxios, quæ deponebant, viderunt ſacrâ affirmatione ſiue religioſo iuramentô adſtruxiſſe.

Itaque publicè teſtata & iurata ſcripſimus, tam procul à falſo, quàm aduerſarij derogatores à bonâ mente. Proteſtari igitur deſino, & incipiam memorare: priùs quæ in vrbe Moſæ-Traiectenſi, deinde quæ alibi accepimus eueniſſe. Sed ante omnia vnum atque alterum factum hoc ipſo anno ſalutis humanæ, 1608. quo hæc ſcripſimus.

Anno ∞. Iↄc.VIII. VI. Kal. Iun.

Puer gibboſus & claudicans correctus.

2. Catharina Gulielmi Nypels ciuis Moſæ-Traiectenſis vxor, publicè in prædicto conſeſſu confeſſa eſt, filiolum ſe habere Matthiam bimulum, gibboſum fuiſſe natum, atque in tantum debilibus pedibus, numquam vt in pedes ſtare potuerit. Anxia mater votum concepit in *Diuam Virginem* pro cari pignoris incolumitate: triennio vt in Supplicatione *Diuæ Virgini* decretâ alterâ Dominicæ Reſurrectionis die, nudis pedibus, ſolis amicta laneis, filiolum ſuum circumferret. Et quidem ipſa ſolem-

ſolemnis proceſſionis die, tali ſchemate tertiùm viam Supplicationi deſtinatam obiuit: cùm matris iuſſu ancilla puerũ tertiùm quoque circumgeſtaret itidem nudipes, amicta ſolis laneis. Intra biduum puer ex integro reſtitutus, rectè inambulauit, gibbo paullatim ſubſidente.

Puellæ pes detortus reſtitutus. Anno ∞.

3. Ida Smidts vicina noſtro monaſterio Ɔ Ɔc. VIII. VII. Kal. Mosæ-Traiectenſi coram nobis publicè teſtata eſt, ſe habere filiolam Elizabetham necdum bimulam, anno natam 1606. die ſacrâ Simoni & Iudæ, peduſculo ſiniſtro introrſum adeò detorto, vt in talos vix niti potuerit. In die ſolemnis Supplicationis ſuprà memoratæ, detulit mater filiolam ad templum noſtrum, accenſam candelam manu geſtantem. Quam cùm in ſacello *Diuæ Virginis* ſtitiſſet: ter geſtauit circum eius altare, & ter circum imaginem eius in medio templi poſitam. puella mox in pedes recta ſtare cœpit: & à matre manu ducta, pedes domum rediit, indies magis ac magis firmior.

Iun.

CAPVT XXIV.

Immerſus dolio ab aquis & morte ſeruatus.

1. ANNO milleſimo ſexcenteſimo quarto F. Petrus Boels Louanij natus, Inſtituti noſtri laicus profeſſus, Traiecti habitabat, cœnobij

Anno ∞. Ɔ Ɔc. IIII. IIII. Nonas Ian.

nobij noſtri diſpenſator. Cùm poſtridie Circumciſionis Domini pro more Fratres per vrbem carnes mendicaſſent; poſtquam ille pro ratione muneris omnia compoſuiſſet, ſerò templum ingreſſus, ante ſomnum ſe Deo priſco more commendauit. Tùnc culinam repetens, quà ei ad cellulam aſcenſus; ventis flantibus fortè extinctâ lucernâ, incidit capite deorſum in dolium, quod iuxta ianuam culinæ in terrâ defoſſum, ciſternæ inſtar, aquam excipiebat pluuialem. id porrò dolium ad circiter amas quinque capiebat, tunc aquâ ſemiplenũ. Non poterat ſe ſic immerſus aquę erigere, & inuerſus; nec emergere anguſto dolio. Moriendum erat. Quamobrem, cùm verbis non poſſet, corde & affectu inuocatâ *Diuâ Traiectenſi*, nullâ morâ interpoſitâ, corpore medio ſe comprehendi ſentiens, in pedes reſtitutus eſt, & à certâ morte liberatus, ope Virginis & Matris in æternum benedictæ.

CAPVT XXV.

Plurimis vulneribus letalibus ſaucius mirificè curatus.

An. ∞.ıↄ. ıxxxvıı. ıııı. Nõ Sept. I. ALFONSVS Perrea Luſitanus, eques aliquando, nunc præſidiarius ſub ſignis nobilis viri Antonij Grenet, domini de VVerp

VVerp Gubernatoris Traiectenſis; non ſemel Senatoribus vrbis iureiurando adfirmauit; anno Chriſti milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſeptimo, ſecundâ die Septembris, ſe, petente dominâ Abbatiſſâ Hochtij (quod cœnobium eſt nobilium virginum Inſtituti Ciſtercienſis) Traiecto equitaſſe Petersheimium, arcem veterem ac nobilem in viciniâ; vti nonnullæ controuerſiæ, quas Antiſtita illa cum villico habebat, tranſigerétur. Mane ad horam circiter octauam, cùm ſolus ad pontem Hochtij adequitaret: vidit è latebris armatos equites in ſe incurrere, & inclamare vt ſe dederet. Sed Alfonſus equo ſuo fretus, fugam capit; & mox illorum coronâ cinctus capitur. Capto quiſpiam crumenam deripit, cum Roſario; cui ærea formula illigata erat, Diuæ Virginis referens impreſſam imaginem. De reculis aliis ille non tam anxius fuit, quàm de Roſario, quod vnicè ſibi petebat reddi, licet fruſtrà, impio illo pietatem aduerſus Deiparam Virginem irridente. Ceterùm Alfonſus ab equitibus illis abducitur: qui eum, cùm militem eſſe cognouiſſent, à quo ſpes eſſet exigui lytri; dixit aliquis, liberè vt aufugeret. Quo ſubnixus, ad molam oleariam Petersheimij, equo ſuo delapſus fugam arripuit in ſiluam Petersheimiam. Mox duo ex illis Alfonſum ex fugâ retrahunt: cùm alter eum veruto transfigit in dextro

 latere;

latere; & conſcendere equum iuſſit. Abducitur Alfonſus ad pagum Helchteram, propè ab opidulo cui Peræ nomen: cùm ita vulneratus, ſanguine fluente valdè debilitaretur. Helchteram cùm veniſſet, vulnus comperit adeò ſangyine manaſſe, vt ipſemet, & qui eum ceperant, de eius deſperarent vitâ. Quamobrem eis ſubiit conſilium in vicinum puteum deiicere: quod ruſtico itidem capto imperauerunt, ſed detrectanti, militum timore regiorum; ne aliquando à ſe, à filiis repoſcerent vindictam, cùm reſciſſent. Porrò cùm ſe illi Helchterę & equos refeciſſent, infirmus Alfonſus in equum ſubleuatus, illos abeuntes comitatur: & paullò pòſt, illi turrim opiduli Peræ demonſtrantes, illuc, vulnus curandi gratiâ, mittendum aiebant. Et abibant iſti: ſed Alfonſus equo depoſitus, pedes it, comitatus tribus illorum equitibus. Ab his ducitur non rectà Peram, ſed alià ad ſiniſtram: vbi vnus eorum dexterum Alfonſi brachium pugione traiecit, alter item pugione collum, vt Alfonſus pronus in terram caderet, *Diuam Virginem Mariam* (de Sant Franciſco) Hiſpanicè ad auxilium inuocans; ne ſine peccatorum expiatione moreretur. Illi porrò ſannantes; Sanctam Mariam, & S. Franciſcum inclama: te ſcilicet iuuabunt. cùm pariter illi tres plura in dorſo Alfonſi vulnera infligerent. Sed neque his exſatiati ſanguinarij, reuol-

reuoluunt Alfonſum, atque multoties in ſupinum ſicas ſuas adegerũt: priùs in labrum, deinde in collum; ita vt à ſiniſtrâ in dextram ſub maxillâ pugio penetrauerit: cicatrices etiamnum cùm videremus teſtantur. Quintum vulnus inflixere ſupra dextràm mammulam, ita patulum, vt ex eo ſpiraretur anima. Denique cæſim punctim feraliter miſerum Alfonſum cædentes, quinquaginta ei vulnera inflixerunt. At ille cùm ſic ſauciaretur, non ceſſauit Diuæ Virginis, non verbis ſed adfectu, vt anteà, opem implorare, ne non confeſſus mortem obiret. Illi, Sinamus hunc ſceleſtum, inquiunt: ſat habet ad mortem vulnera. ligulas eius diſcindunt, calceos, caligas, braccas, thoracem exuunt, derelinquentes pro mortuo. Et verò Alfonſus ita mactatus fuit, vt vulnerum nihil ſentiret. Poſtquam ſe recepiſſet, ſe tam grauiter ſauciatum ſentiens; quà potuit repere, abdidit ſe ſub geniſtis aduerſus ventos & frigus, inceſſanter Diuam Virginem inuocans: à quâ deſertus non fuit, etſi deſtitutus omni humano auxilio. Enimuerò illic ei viſa eſt, Filiolum ſuum ſiniſtrâ baiulans, amicta tunicâ cæruleâ cinctaque. Vnà etiam Alfonſus vidit B. Seruatium, Diuæ Virgini aſtantem ſiniſtrâ, mitratum, ornatumque caſulâ mixti coloris lutei & viridis, pedum dextrâ tenentem: quorum adſpectu mirificè confirmatus, opem

illorum vnicè implorauit. Ceterùm illis diſparentibus, præ vt antè valentior, ſurrexit; atque ad vicinam domum ſe conferens, neminem reperit. Scamno inſidens fortè vidit faſciam puerilem, quâ caput & colli vulnera alligauit: & de ſcamno ſe demittens, ita ſedit in terrâ, ſcamno innitens. paullò pòſt mulier aduenit, prolem gerens brachio, atque compellans in hæc verba: O te infelicem! adhuc viuis? bono eſto animo: Deus tibi aderit. Superuenere duo ruſtici, quærentes vt valeret: quibus ille, cùm vix loqui poſſet, manu indicauit læuâ, propiùs vt accederent, atque ab eis petens aduocari Paſtorem, cui peccata confiteretur. Illi Paſtorem hoſtium timore profugiſſe, inquiunt, Haſſetum. Ad veſperum redeuntibus hoſtibus, cùm ad arma conclamaretur, in horreum aliquod ducentes Alfonſum, ſuper ſtramina repoſuerunt. Poſt horam ferè puella aduenit, quæ illi adgeniculans, quærebat, quinam valeret; & quà poterat Alfonſum ſolabatur. Ille totus exſuccus & exſanguis, ſitim indicabat ſuam. Puella mox attulit ſcutulam aquâ plenam: atque illi rurſus adgeniculans potum obtulit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et cùm Alfonſus non peteret ampliùs: puella ter eum viuificæ crucis ſigno muniens, abiit; prorſus ignota vnde veniſſet, quò abiiſſet. Horâ circiter octauâ veſperè redierunt prædicti

dicti ruſtici, inter quos iam conuenerat, deſtinare Alfonſum, vti rogauerat, ad Paſtorem, & ad chirurgum. Cuius ergô, conduxere pauperculam, quæ carro impoſitum Alfonſum (ipſi enim militum timore nõ audebant) Peram aduheheret: & nutu diuino, medio itinere, obuium habuere chirurgum Perẽſem, qui iam quatuor aut quinque menſes Perâ abfuerat, moratus Haſſeti. Is intellexit ex pauperculâ Alfonſi vectrice, eum tam immaniter ab equitibus Gertrudebergenſibus ſauciatum. Ad horam noctis decimam Peram venerunt: vbi in domo Prætoris Alfonſus lectulo imponitur: quò Paſtor mox aduocatus ante alia confeſſionem eius excepit. Tunc chirurgus ſingula tentans & inſpiciens vulnera, comperit quatuordecim aut quindecim fuiſſe letalia. Quare de ſalute Alfonſi deſperans, ea leui manu alligauit: quòd in ſequentem diem exiſtimaret non poſſe viuere. Atqui Alfonſus, fauente Deo, interuentu Diuæ Virginis, ſanctorum Seruatij & Franciſci, quorum opem iugiter implorauerat, non modò ſuperuixit alterâ luce, verùm etiam ſacram Euchariſtiam ſumpſit; ille quidem ad mortem pro viatico, quod tamen fuit ſaluberrimum medicamentum animi & corporis. nam haud multò pòſt Alfonſus curatis vulneribus integram valetudinem conſecutus eſt. Vidimus Alfonſum hodieque Moſæ-

Traiecti militem;vulnerum cicatrices curioſè inſpeximus; interulam quoque ſigna vulnerum referentem, æternæ memoriæ conſeruamus. Denique publica inſtrumenta D.Paſtoris Ioachimi,item Senatus Perenſis,legimus: vt ſcripſi,ſic rem ſe habere, litteris exſignatis atteſtantur.

Cæſ. Heiſterb.lib 7. illuſt. Mirac. c. 10. Viden' tu beniuole Lector, *quàm mirificè iuſtos ſibi ſeruientes ſancta Dei Genitrix Virgo Maria conſoletur?*

CAPVT XXVI.

Cæca puella viſum recepit.

Anno ∞. ɔc. I. 1. GVLIELMO Donder & Elizabethæ de Botre coniugibus Traiectenſibus Ioanna filia vndecennis fuit, cũ oculis repentè capta, prorſus cæca fuit ampliùs ſex menſes. Parentes, quidquid à Medicis adhiberi potuit, fruſtrà tentarunt. Porrò Ioanna parentibus inquit; Vtinam Paſcha Domini ſit! & liceat in illâ Supplicatione apud Franciſcanos vnà circumire! ita ſe ſperabat liberatam iri. Alterâ Reſurrectionis Dominicæ die, mater & filia nudipedes amictæ ſolis lineis, ante *Diuæ Virginis* ſacram Imaginem cum ceteris proceſſerunt. Rurſus templum ingreſſæ ſunt: atque cùm ſacra imago templo inferretur,ſubitò ad matrem ſuam filia; En video Diuæ Virginis ima-

imaginem. Illæ verò,& quotquot aderant demirantes,& gaudentes,Chriſto Dei filio,omnium bonorum fonti,atque Deiparæ Virgini, grates dixerunt & laudes. Ioanna nunc Traiectiannum agit ætatis decimum nonum.

Capvt xxvii.

Gibberus regibberus puer, & claudus, complanatus, reſtitutus.

I. Antonivs CL. V. Toſſani VValteri, Exconſulis Moſæ-Traiectenſis filius, dorſo gibbero,regibbero etiã pectore; inſuper incuruis adeò cruſculis & tortuoſis natus eſt, vt in fulcra niti debuerit,aduſque ætatis ſextũ circiter annũ. A fratribus,à vernulis puerorum pro more fatigabatur: pumilium ridebant & nanum,quia paruulus;claudũ exprobrabant, quòd pedibus impotens,ingredi non poterat. Et,Quiſnam tu? erige te in pedes: gradere vti nos; & te,nec aliter, pro fratre noſtro habebimus. Huiuſmodi ſannis afficiebatur quotidie miſellus. Tandem animosè reſpondit Antonius; Ego vobis ſimilis incedam erectus, ſi priùs *Diuam Virginem in templo Fratrum Minorum ſalutauero*. Quod parentes cùm exiſtimarent à puero dictum inſtinctu diuino: feſtâ die Sanctorum Innocentum, anni nonageſimi tertij ſupra milleſimum quingente- An. ∞.Ɔ. XCIIII.

ſimum, filium deferunt ad templum Franciſcanorum:ad aram Diuæ Virginis in ipſo Sacrificio Antonius,parentes, familiares accenſum cereum offerunt: ſed Antonius vti gibboſus & claudus venerat, talis domum reuenit. Ibi rurſus illi Antonium irridere; Quin tu inambulas? an non iam *Diuam Virginem* inuiſiſti? Quibus ille; Propediem in Paſchate à pedibus conualebo. Totâ interim Quadrageſimâ puer ſannis excipiebatur & dicteriis. Frater eius germanus, parenti ſuo cognominis, Toſſanus,iam inſtitutum Prędicatorum profeſſus,egregius Concionator; Sabbato ſancto re peractâ diuinâ, e templo ſub meridiem rediens domum, rurſus laceſſit Antonium; Quin tu graderis?iam Paſcha adeſt: an tādem aliquando ſolus, pigmæe,incedes? Cui Antonius;Quin audeam?inquit.& auſus, fulcris ſepoſitis,iuit ſolus ex vno culinæ latere in aduerſum. Tum clamore & admiratione ſubortâ, parentes accurrunt:qui factum cognoſcentes, Deū mirabilem in Deiparâ Mariâ dilaudauerunt. Mox iterùm puer Antonius ex aduerſum cucurrit ad patrem:atque ex eo tēpore ſemper ſine fulcris inambulauit. Gibbi, quibus pectore dorſoque deformis erat, complanati: crura citra medici & chirurgi curam reſtituta. Filio Antonio perſanato, parentes grati aduerſus Deum,& Diuam Virginem, cùm iteratò Sacrum in ejus ſacello peragi curauiſſent, eius fulcra

fulcra deorſum ferro munita conſecrauerunt æternitati; quæ hodieque tanti beneficij miraculo teſtimonium perhibent.

CAPVT XXVIII.

Claudi in greßum erecti.

1. ÆGIDIVS Anſea nauem exercens vectoriam Traiectum, Leodicum, vltròcitroq; ſanctè teſtatus eſt, filium ſuum Simonem Anſea claudum natum vtroq; pede; adeoq; ad ſextum ætatis annũ,non niſi fulcris nitentem ire potuiſſe. Mater concepit votum pro filio, vt ter in ſacello *Diuæ Virginis* apud Minores Traiectenſes ad illius aram pro eius ſalute ſacrificaretur: tertio die cùm tertium Sacrum fieret, ſubitò præter naturam Simon claudirate perſanatâ,in pedes ſubſtitit, fulcra ibidem memoriæ beneficij atque miraculi dereliquit. Mater gratitudinis ergô filium B.Mariæ obſtrinxit, quotannis in Supplicatione,ſtatâ alterâ die Paſchatis, ardentem cereum circumgeſtare. Fecit Simon iam firmus & erectus,annum nunc habens vitæ quartum & vigeſimum,quoad potuit liber ipſe, & nemini obnoxius. Militat nunc ſub ſignis Illuſtris & Generoſi D.Baronis Grobendonckij Siluæducis Gubernatoris. An. ∞.IↃ.XC.

2. Vir nobilis VValterus Hoenſbroeckius, An. ∞.IↃ.XCVIII.

Guelæ, &c. Dominus, Præfectus Valkenburgius, habitabat Vici, (quod opidulum pons Traiecto iungit) cùm eius filia Margareta, ad annum vſque vndecimum, adeò diſſolutis cruribus eſſet loripes, vt in modum lori & faſciæ pedes de coxendice dependere viderentur. Menſe Decembri, Catharina Hemkens cùm in ædibus eius lintea lauiſſet, pietate mota, ſiue miſericordiâ, Margaretam deportauit ad imaginem *Diuæ Virginis Fratrum Minorum* Ibi tum fuſis precibus, Margareta vires accepit, domum parentis pedes repetiit. Viuit hodieque Margareta, in virginum monaſterio Zinnich prope Aquaſgranum religionem profeſſa. Viuit etiam pater, & Catharina ancillula, publicè miraculo adſtipulata.

An. ∞.Iↄ. XCVIII. 3. Elizabetha vân Hagen Iacobi Carkens vxor, Traiectenſis, ex filio Theodoro nepotem habuit Petrum Carkens, quadriennem, prorſus vtroque pede claudum: niſi fulcris vteretur, ſine vllo erat inceſſu. Ida mater Petri vouit pro illius reſtitutione, continuis nouenis Dominicis eum in *Diuæ Virginis* ſacello præſentare, atque ad eius altare ſingulis quibuſque Dominicis ſacrificia per Sacerdotes offerre. Poſtremâ Dominicâ, mater cum filio ſub ſacro, ad Virginis religiosè aram precabatur: & Petrus firmus pedibus ſurgẽs, poſitis fulcris ad matrem accurrit, omni pedũ vitio profligato; nunc

to; nunc

to;nunc rectè valens,vitæ habet circiter decimum annum.

4. Damianus Praeſſen, Maria Boermans, An. ∞.
coniuges Traiectenſes,filiolam habuerũt An- IↃC.
nam, ætatis anni vnius,ſex menſium, vtroque pedusculo ita claudam, vt non ſine fulcris poſſet ire aut ſtare. Cùm omnem operam perdidiſſet Chirurgus; parentes ad *Diuam Virginem* vota fecere pro remedio: ſtiterunt filiolam Dei matris imagini feriâ ſecundâ Paſchæ, quâ celebratur Supplicatio. Pro filiæ integritate, cùm tertiò rem diuinam Sacerdotes operati fuiſſent, preceſque fuſæ: viſa eſt repentè in ipſo Dei matris ſacello conualuiſſe: ita vt ibidem fulcra derelinquens, paullò pòſt ex integro reſtituta ſit.

5. Philippus Kopis, eius vxor Catharina, Anno ∞.
ambo ciues Traiectenſes,filium habent Mat- IↃC.I.
thiam: qui anniculus totus claudus factus eſt. Tibiæ in formam decuſſatæ crucis complicabantur: nõ ire,ſed repere tantùm potuit;atque ſic toto perſeuerauit triennio. Sed etiam tandem caput pueri adeò intumuit, vt duplò videretur maius, toto quoque tumente corpore, pueri mors in oculis parentum erat. Matthias circa feſtum Paſchale matrem inclamat; Ad fratres Minores me deferte. Sed illa cùm negligeret, ille rurſus clamare, & importunè poſtulare non deſiit, donec eò deportaretur. Mater tulit ad *Diuæ Virginis imaginem*;

ginem;

ginem; ante quam cùm precata fuiſſet, domum voluit repetere: ſed puer renitens diutiùs voluit hærere. Iteratò mater pro incolumitate prolis effuſis precibus, domum filium reportauit: poſtridie tumor filij prorſus fuit profligatus. Læta nimis atq; grata mater, alterâ Dominicæ reſurrectionis die, quod conceperat, nudipes, & laneis dumtaxat amicta, ante Diuæ Virginis imaginem proceſſit. Vigeſimo pòſt die, ſic crura comparata fuere, vt hactenus rectè inambulauerit.

Anno ∞. IↃC. I. 6. Franciſci Smidtſij vxor in Libbeeck, propè à Traiecto, filiam habuit ætatis anno vno & ſexto menſe, cruribus adeò diuaricatis, & tam miſerè à ſe diſtortis, vt frangi viderentur, cùm ambulare conaretur. hoc vitio toto ferè annó laborauit. Vouit mater pro ſoſpitate filiæ, alterà Paſchatis feriâ, filiolam circumferendam in Supplicatione, *Diuæ Virginis* honori decretâ, apud Fratres Minores. fecit: & ex illâ horâ filiola cœpit conualeſcere. quam mecum greſſu firmam complures, & rectè valentem, octennem viderunt, cui Barbaræ nomen eſt.

CAPVT XXIX.

Muti, morbidi, facti vocales, & ſanati.

An. ∞. IↃ. LXXX. 1. CHRISTIANVS Linſen ex vxore Machtilde Meyers, Traiecti filium ſuſtulit

natu

natu minimum Chriſtianum . hic ad annum vſque ætatis circiter quartum,non modò mutus fuit, verùm etiam prorſus ſine voce & ſono:nec ridere potuit, neque vllum ore ſignum edere lætitiæ. Adhæc adeò lienteriâ laborauit, vt ſiquid cibi ſumeret aut potus, nullâ morâ interpoſitâ egereret. Mater eius Machtildis filium opertum ſolis lineis ac nudipedem circumduci fecit in ipsâ Supplicatione, feriâ ſecundâ Paſchæ, quâ *D.Virginis imago* circumgeſtatur, quando & ipſa ſimili ſchemate proceſſit. Porrò antequam procedere inciperent, cœpit ridere Chriſtianus, quod numquam fecerat . peractâ Supplicatione domum veniens,auidè comedit, & ingeſta retinuit: veſperi loqui incepit hilaris & gaudens. Ex illâ hora factus vocalis, facundè loquutus eſt, ſanus etiam & robuſtus, iam agens annum vitæ vigeſimum nonum.

2. Agnes Schrijuers, vxor quondam Paſchaſij Euerardi Moſæ-Traiectenſis, nata eſt anno Chriſti milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo , muta & clauda : toto octennio nihil loquuta geſtabatur ſemper, etiam graui ſuſpirio laborans ſiue aſthmate. Mater eius Maria, anno ſalutis ſupra milleſimum quingēteſimum quinquageſimo ſexto, ante feſtum Paſchale monebatur in ſomno, vt voueret ſe proceſſionem vnà peracturam, quæ in honorem Dei & *Deiparæ Virginis* (An. ∞.I), LVI.)

alterâ

alterâ Paſchæ apud Fratres Minores ex more Traiecti celebratur; ſic futurum, vt filia loquelam acciperet & greſſum. Iuit Mater viam Supplicationis obitura; in Sacello *Diuæ Virginis* filiam præſentans, ad Deiparæ imaginem pro filiæ ſuæ ſalute ſupplicauit. In ſummo Sacro, cùm iam eſſet eleuanda ter ſancta Euchariſtia: mater relictâ in ſacello filiâ, chorum intrauit, Chriſtum verum Deum & hominem in Venerabili Sacramento adoratura. Interim Agnes ſe erigens firmatis cruribus è ſacello cucurrit ad templi ianuam, vbi ante hos motus ferrea cratis pro antiquo more ſtrata erat. Illa hactenus ſine inceſſu & loquelâ timebat tranſgredi: ſed tamen ſumpto animo, pedem leuans conabatur, inquiens; * Eia, eia, agedum! Inſtitorum aliquis, qui ſuas reculas ad ſolemnitatem propoſuerat, aſſumens puellam tranſportauit per cratem, per turbam hominum, qui frequentes confluebant. Tum Agnes ampliùs portari noluit: & è brachiis ſui baiuli in terram demiſſa, ſola domum è regione olim ſitam, nunc deſtructam, dictam in den Brien, vicinam S. Hilarij tẽplo. Sed domus, cùm limen haberet altius: timida tentauit aſcendere, eadem, vt priùs, loquuta. Vicini admirantes accurrere. Pater filiam per limen tranſtulit, arbitrans pro more baiulandam: ſed Agnes renitens deponitur à parente; & currens huc illuc per domum, iactatis brachiis

*Teutonicè, Op/op/op.

brachiis volare videbatur. Mater præ gaudio & admiratione, manare ſanguinem ex ore & naribus: vouens quotannis Supplicationem, cuius ſæpè meminimus, cōcelebraturam cum filiâ, nudis pedibus, lineis dumtaxat opertam. Deinceps Agnetem ex integro curatam ab aſthmate, linguæ vinculo, & clauditate, non ſemel alloquuti ſumus Traiecti hodieque recte valentem.

CAPVT XXX.

Paralytici restricti.

1. ARNOLDVS Slijpen Valkenburgi natus, nunc ciuis Moſæ-Traiectenſis, iuratus aſſeruit, ſe cum ſuo fratre Michaële, triennes ſiue quadriennes, quando Valkenburgi habitabant in ædibus paternis, in tantum fuiſſe paralyticos, vt niſi fulcris ſuſtentati, non quiuerint inambulare. Solicitæ materculæ, alij atque alij, vt in morbis fit, alia conſilia dederunt. Inter illos fuere ſuggerentes, Traiectum ad *Diuam Virginem* peregrinationem ineundam, pro ſalute filiorum. Venit mater cum filiis ad Deiparæ ſacellum: vbi cùm preces fudiſſet, Arnoldus cum fratre Michaële ſine ſuſtentaculis cœperunt incedere, ſeſe ad ſcamna ſuſtentantes. Itaque in miraculi monumentum ibi relictis cruciculis, domum Anno CIↃ.LX.

firmo

firmo gradu reuerſi ſint, numquã pòſt fulcra vſurpantes. Arnoldus iam habet vitæ quinquaginta annos & vnum.

An. ∞.IↃ. LXXXI. 2. Paullus VValterus ab Huekelem, atque eius vxor Cornelia Valkenburgenſis, Moſæ-Traiectenſes, filiam genuere Sibyllam; quam trimulam totius corpuſculi paralyſis inuaſit. In brachio læuo à manu ad cubitum plurima foramina habuit, tamquam aciculis puncta, perpetuò ſtillantia ſanguinem, inſtar muriæ ſalſiſſimum, intolerabilis graueolentiæ. parentes faſcinatam opinabantur: quòd viſa ſit ſuſpecta anus digito brachium pupugiſſe, hæc verba loquens; Quàm pulchra hæc eſt puellula! cùm ſtatim diſſolutione omnium neruorum, & tali brachio laborare cœpit ad duos circiter annos. Periclitatis, licet fruſtrà, cunctis medicamentis, mater vota vertit ad *Diuam Virginem*, ſe proximâ in Supplicatione Paſchali proceſſuram. Et quidem eâ die ſecundò viam proceſſionis obiuit: & haud ita multò pòſt ante Pentecoſten ſubitò curata Sibylla, inquit Mater, num mea fulcra proiiciam in focum? en ſine illis incedo. Mirabantur omnes, Deum in glorioſiſſimâ Deiparâ dilaudantes.

An. ∞.IↃ. XCII. 3. Mariæ Schoorens, vxoris Ioannis Mignon Burgundi, præſidiarij militis Moſæ-Traiectenſis filia Iohanna, menſes nouem nata, & parentum lecto indormiens, mem-

brorum

brorum omnium diſſolutionem, & quà potuit illâ ætate, dolorem ſuum eiulatibus & fletibus indicauit. Pater oppreſſam ſuſpicabatur filiolam. Mater inſolitos puellæ cruciatus curatura, medicos aduocauit, ſed ſine fructu. Suſpicabantur plerique veneficium: nam quotidie valetudo augebatur in ſexennium. Tunc etiam puella ſeptemdecim diebus nihil alimenti ſumpſit; niſi quòd mater ſubinde filiæ labra lacte ſuo rigaret. Porrò cùm humani remedij nulla ſpes ſupereſſe videretur, mater ſe ad omnium medicorum optimum conuertit, Dominum Deum, *Diuam Virginem* mediatricem noſtram pro ſanitate filiæ interpellans; ſe cum filiâ Diuæ Traiectenſi ſtitit; ad eius imaginem ſæpè ſe proſtrauit: atque die illâ Supplicationi decretâ, cùm ante ſummam aram mater orationes ex intimo pectore profunderet; filia è gremio matris balbutiebat, inquiens; Mater, iam ſanata ſum. Illa filiam videns erigi in pedes, & greſſum conari, cùm numquam crura mouere potuiſſet: filiam reportauit domum, ei fulcra parans, quibus vtebatur adusque Dominicam in Albis. Quâ die mater cùm iteratò filiam Diuæ Virginis icunculæ repræſentaſſet, cum precibus lachrymas pro filiâ fudit. Vix finierat, & Ioanna ad matrem; Mater, iam ante me vidi mulierem ſpecioſiſſimam: nec mihi fulcris ampliùs opus eſt; ſanata ſum, ſola incedam.

 dam.

dam. Quo dicto cruciculas abiecit, Sacello Diuæ Virginis conſecrauit. At mater filiam complexa brachiis, vti ſolebat, domum voluit reportare: ſed Ioanna renuens, multorum cum admiratione, domum pedes iuit, hactenus incolumis, ætatis annum agens decimum ſeptimum.

An. ∞.IↃ. XCV. 4. Catharina Gulielmi Nijpels vxor filiam habuit Mariam, ad ſextum circiter vitæ annum pedibus membriſque adeò ſolutam ac debilem, vt gradi non potuerit, nec ſtare. Vouit mater triennio filiam in Supplicatione, cuius ſæpè mentionem facimus, nùdis pedibus, amictam ſe laneis dumtaxat, circumlaturam. Ante triennium expletum, cùm ſuſtentata fulcris *Diuam Virginem* in templo Fratrum Minorum rogaſſet: ſine morâ reſtrictis ſolidatiſque membris omnibus, ibique miraculi teſtimonio repoſitis fulcris, domum pedibus rediuit, fortis, firma, ex omnibus reparata perſeuerans.

CAPVT XXXI.

Hernioſi reparati.

An. ∞.IↃ. LXVII. 1. REINERVS Bormannus ciuis Traiectenſis filium habuit Franciſcum ſupra fidem hernioſum: in quo curando medicamenta omnia fruſtrà tentata fuerunt; vt medici

medici prorſus eius deſperarent ſalutem. Eius matri Mariæ ſubiit, *Diuæ Virgini* apud Franciſcanos ſiſtere filium. Fecit: & factis aliquot Sacris pro pueri incolumitate, ligulam, quâ ſemper fuit vinctus, diſſoluens, Diuæ Virginis imagini ſuſpendit. Quo facto, ſtatim puer ſanitatem adeptus, multis pòſt annis ſoſpes vixit, vxorem habuit, liberos procreauit.

2. Margareta Meyera Traiecti habitans publicè teſtata eſt, filium ſuum Franciſcum Meyerum, ſepténis cùm eſſet, ramice ſiue herniâ grauiſſimâ laboraſſe, remedia & adhibita medicaméta nihil profuiſſe. Votum fecit mater, tantiſper dum viueret, nudis pedibus, & cõſueto lineorum ſchemate, in Supplicatione *D. Virginis*, à Fratribus Minoribus agitari ſolitâ, proceſſuram ſe. Voto concepto, mox Franciſcus ſolidatus fuit, nullo vitij relicto veſtigio.

CAPVT XXXII.

Variis adfecti morbis, mirificè curati.

1. MARGARETÆ Bacheriæ, viduæ Ioannis Meyeri, filia fuit Maria Meyera: quæ cùm tredecennis eſſet, morbo correpta eſt grauiſſimo. Mater pro cari pignoris valetudine votum nuncupauit; filiam primitus, cùm ædes ſuas exire poſſet, *Diuam Virginem* An. ∞.I). LXXIX.

ad Minores viſurá.Iuit: ſed præ nimio frigore veſtes induta quotidianas. In templo cùm oraſſet,retrorſum cecidit in deliquium animi, deplorans ſe votum non vt conceptum fuerat ſoluiſſe. Alterâ die cùm feciſſet, ſubitò ſanata eſt.

2. Paucis pòſt annis ipſa eadem Maria rurſus infirmata grauiſſimè fuit: mors in mente & oculis erat. Vouit igitur ipſamet pro ſuâ ſalute, quoad viueret, in prædictâ *D. Virginis* Supplicatione, alterâ Paſchalis celebritatis, peracturam ſe nudipedalia, lineis dumtaxat amictam. Paullò pòſt ex morbo prorſus conualuit. Viuit etiam nunc, & ſanctè Traiecti publiceque aſſeruit hæc, confirmauitque.

An. ∞.IↃ. LXXXVIII 3. Gulielmi Nijpels ciuis Traiectenſis Catharina vxor,ante circiter annos viginti,quartadecimâ die à ſuo partu, immani totius corporis dolore correpta eſt: quieſcere non diu non noctu potuit, altos miſerandoſq; ſemper clamores edidit. Votum igitur pro ſe concepit eiuſmodi; nouemdio legere Dominicam orationem,& ſalutationem Angelicam:tum quoque tribus ſequentibus annis,in Supplicatione *Diuæ Virginis* apud Franciſcanos ſolemni, laneis ſe ſolis amictam atque nudipedem proceſſuram. Ante expletũ dictum nouemdium, omnino liberata dolore,curata fuit.

An. ∞.IↃ. XC. 4. Nicolaus Valkenburgius ciuis Traiectenſis

ctenſis filiolam habuit Annam Valkenburgiam; quæ annicula adeò ægra & deformis eſt facta, plerique vt venirent ipſam inuiſum pro monſtro. Oſculum ſemper hiabat: vix oculi in capite cernebantur. Ancilla vtraque, Catharina à Merſen & Anna, puellam deportauerunt Sittardiam Henrico nobili chirurgo medicandam. Is nimio diutiùs exſpectatum inquiebat, quàm vt curari poſſe ſperabat: imò videbatur illi mortua; manum tamen adhibuit, licet morbum nequidquam medicatus. Matri mœrenti ſuggeſſit Anna à Svvartzenburg, tribus continuis ſextis feriis ad *Diuæ Virginis* ſacellum apud Franciſcanos deferendam eſſe: quod ſtatis diebus fecerunt, quibus etiam Anna rigidè ieiunauit, in cibum aquam ſolummodò & panem ſumens, Deo & Diuæ Virgini in honorem. Tertia dies antequam aduenisſet, filiola ridere cœpit, clauſit oſculum, & manducauit. In dies firmior, perfectè ſanata eſt, iam ætatis annum agens octauum decimum.

5. Franciſcus Muelepas Moſæ-Traiectenſis, trigeſimo tertio ætatis anno, maximâ corporis ægritudine laborauit, vt ſe crederet iam moriturum. Ipsâ ſacrâ Paſchali die licet maximo cordis dolore correptus; tamen ſecundâ feriâ ſequente, alacritate magnâ è lecto ſurrexit, vt pro more, cum aliis in *Diuæ Virginis* proceſſione circumiret. Obiuit, & mox An. ∞.IƆ.XCIII.

mox integram ſanitatem recuperauit.

An. ∞.IↃ. XCIX. 6. Maria Meyera, cuius ſuprà meminimus, teſtata eſt, ſe, annos cùm haberet triginta tres, iam tum nuptam Theodorico Antonio, ægerrimam fuiſſe à ſuâ partione; & extremis Eccleſiæ mũnitam Sacramentis, adeò vt ab omnibus vitæ ſuæ finis certò appropinquare cenſeretur. Votum igitur pro ſuâ nuncupauit ſalute; tertiò deinceps viâ Supplicationi *Diuæ Virginis* deſtinatam, nudipedem & dumtaxat lineis amictam ſe obituram. Vix abierat medium horæ, cùm ab illâ grauiſſimâ liberaretur infirmitate. Momento oculi decedebat corde dolor, corpore morbus, cunctis demirantibus. Rogata ab aliis, quâ ratione tam inexſpectatò curata eſſet; A Deo, inquit, & Virgine matre robur atque hanc valetudinem accepi.

An. ∞.IↃ. XCIX. 7. Damianus Praſſius, Maria Bormans eius vxor, ciues Traiectenſes, Elizabetham filiam, ſexto à natiuitate menſe, faſcino (vt ſuſpicabantur) tactam, ſiue veneficio affectam habuerunt: cõſumptâ carne ſola pellis oſſibus hærebat; nec mori potuit, nec viuere. Tibiæ, pedes, brachia, extorta erant, & velut inuerſa. Parentes teſtati ſunt, tam fuiſſe miſerabilem, quàm potuit aliquis mortalium. Subiit illis, infantulam *Diuæ Virgini* ſiſtere, & pro eius ſoſpitate precari. Factum cùm eſſet; in ipſo ſacello Deiparæ, infantula paullatim conualuit,

ualuit, cruribus & brachiis naturæ loco reſtitutis.

8. Catharina vxor Gulielmi Nijpels in grauiſſimum incidens morbum, à cunctis poſſe viuere deſperabatur. Vt aliquoties fecerat, ſe voto obſtrinxit, nudipedalia peracturam, laneis veſtitam ſolis proceſſuram in *Diuæ Virginis* illâ celeberrimâ Supplicatione. Vouit, ſoluit, reualuit. Anno ∞. ıↄc. VI.

9. Sic D. Virginis Matris potentiſſima & piiſſima charitas, & affectu compatiendi, & ſubueniendi abundat effectu, æquè locuples in vtroq;. Ad hunc igitur fontem ſitibũda properet anima noſtra. Ad hunc miſericordiæ cumulum totâ ſolicitudine miſeria noſtra recurrat. Et, ô ſanctiſſima Deipara, *ſit pietatis tuæ, ipſam quam apud Deum gratiam inueniſti, notam facere mundo; reis veniam, medelam ægris, puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adiutorium* & liberationem, ſanctis precibus obtinendo. Et ſemper *dulciſsimum Mariæ nomen cum laude inuocantibus ſeruulis, per te Regina clemens, gratiæ ſua munera largiatur Ieſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.* Ber. Ser. 4. de Aſſum. B. Mariæ. Indid.

CAPVT XXXIII.

Atteſtatio Senatus Moſæ-Traiectenſis ſuper fide prædictorum miraculorum.

HÆC, quæ in vrbe Traiectenſi à DIVA VIRGINE miracula facta potui reperire, in hunc ordinem ita conduxi: eaque teſtatiora, quàm quæ dubioſa eſſe putari debeant, teſtificatio Senatus Traiectenſis euincit, quam ſubiungimus.

NOS *Pratores, Conſules, & totum commune Conſilium ciuitatis Traiectenſis ad Moſam; omnibus & ſingulis has noſtras litteras viſuris, lecturis ſeu legi audituris, Salutem in Domino. Quandoquidem æquum & rationi conſentaneum ſit, veritati teſtimonium perhibere; notúmque ſit à Diuâ Virgine Matre Mariâ, ad Imaginem in Conuentu Fratrum Minorum Inſtituti de Obſeruantiâ, dictæ ciuitatis noſtræ Traiectenſis ad Moſam, plurima miracula æuo maiorum noſtrorum ante hominum memoriam exhibita, & nunc etiam noſtro ſæculo plurima beneficia miſeris ac deſperatis conferri: viſúmque fuit R. P. F. Henrico Sedulio Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ Prouinciæ inferioris Germaniæ Miniſtro, diligenter illa inquiſita, Deo in honorem & gloriam, Diuæ Virgini*

in

in debitum cultum, cunctis piis in ſalutarem fructum, typis commendare: quod ipſum ne temerè atque inconſideratè fieret, prædictus Sedulius contentus non fuit ipſemet in iſta miracula diligenter inquiſiuiſſe; teſtes etiam adhibuit & Notarios, ex noſtro Ordine Senatorio viros fide dignos. Denique vt magis comprobata innoteſcerent, anno Domini 1608. menſibus Iunio & Iulio, prædictus Sedulius, ab vtroq; Traiectenſi Collegio ſancti Seruatij & B. Mariæ Canonicos aliquot egregios, pios ac doctos viros; item à Magiſtratu noſtræ Ciuitatis nonnullos Senatores poſtulauit, qui omnes ſuprà capite 23. recenſentur. In quorum conſeſſu publico aliquoties iterato, relata, depoſita, rurſus audita & examinata, atque etiam iureiurando confirmata fuere. Cùm itaq; in prædicta miracula ſufficienter inquiſitum eſſe cognoſcamus: hinc eſt quòd tenore præſentium, omnibus has noſtras viſuris, coram Deo atteſtamur, miracula præſcripta à capite vigeſimo tertio vſque ad hoc noſtrum publicum Inſtrumentum, quæ ciuibus noſtris, & noſtræ ciuitatis Traiecti ad Moſam incolis & accolis eueniſſe ſcribuntur, verè contigiſſe. Nec dumtaxat atteſtamur hoc Inſtrumento veritati: verùm etiam coràm, quoties opus fuerit, digito demonſtrare parati ſumus; quia plurimi, qui beneficia miraculosè à Diuâ Virgine conſecuti ſunt, etiam nunc ſuperſunt. In quorum omnium &

ſingulorum fidem & teſtimonium, præſentes noſtras litteras ſigilli noſtræ Ciuitatis ad cauſas (quo in his & ſimilibus vti ſolemus) appenſione communiri, atque per vnum noſtri prædicti Conſilij Secretariorum, ſubſignari, iuſſimus: Datas Traiecti ad Moſam, Anno Milleſimo ſexcenteſimo octauo, die verò menſis Iulij duodecimâ.

Iuſſu ſuorum honorandorum Dominorum præfatorum

Ioannes Houpæus.

Capvt XXXIV.

Leodici matrona laborans incurabili morbo ſupra biennium, ex voto reualuit.

Anno ∞. IϽC. II.

1. Non modò Traiectum, verumetiam pagi, villæ, opida, ciuitateſque vicinæ, miraculoſa curationum beneficia ab hac Diuâ ſenſerunt. Ordior à Leodico, quam Legiam nonnulli dictam tradunt, nobili decoratam elogio; fidelem Eccleſiæ Romanæ filiam. Vrbs eſt magna & amœna, frequens & copioſa, quæ cum maximis Europæ vrbibus certare poteſt, ſiue potentiam & magnitudinem ſpectes, ſiue, quæ cunctis anteponenda eſt, pietatem & religionem.

2. Hîc Edmundi Fabri Leodicenſis Offi-

cialis

cialis Sigilliferi vxor Maria Darthois habitans, ex fide narrauit, incurabili ſe grauiſſimoque detentam morbo, continuùm lecto affixam fuiſſe toto biennio, octo menſibus, ab omni medicorum abdicatam ope. Quapropter conſilio cuiuſdam, circa ſolemnitatem Purificationis B. Mariæ, pro ſuâ ſoſpitate votum nuncupauit; quotannis ſe Traiectum venturam celebratum Supplicationem in *Diuæ Virginis* honorem, à Fratribus Minoribus ſolitam agitari, alterâ die Reſurrectionis Dominicæ, expiatam per Confeſſionem à peccatis, ſumpto Dominici corporis Sacramento; tum etiam in gloriam Dei, Deiparæq; matris oblaturam tedam. Voto facto, Maria habere meliuſculè cœpit: & paullò pòſt ſcipione ſuſtentata, ædes ſuas huc illuc perambulauit, integrâ breui valetudine recuperatâ. Iuit ad dictam Supplicationē Traiectum, vota ſoluit proximâ celebritate, ſolutura ſemper quoad vixerit pro tantâ incolumitate, Diuæ Virginis ope ſibi collatâ.

3. Etiam hoc Maria atteſtata eſt; cùm aliquando diſtricta negotiis interuenientibus ad Supplicationem prædictam comparere non potuiſſet, debilem ſe factam & infirmam, tantiſper dum conceptum votum ſoluiſſet: id quod contigiſſe anno Chriſtiano ſeptimo ſuprà milleſimum ſexcenteſimum ingenuè faſſa eſt. Nam quòd diſtuliſſet, III. Non. Maij Anno ∞. Iↄ C.VII.

ægrior

ægrior Leodico voti gratiâ venit Moſæ-Traiectum, ad *Diuam Virginem Franciſcanorum*: cùm die ſequente, illa, quibus ſe voto adſtrinxerat, expleuiſſet; rectiſſimè valens ac robuſta Leodicum rediit.

Sed nemo mirari debet, cùm videat eiuſcemodi remedia ſolatio generis humani à D. Virgine adhiberi: *ipſa medicum genuit: ipſa medicinam generis humani ex ſe produxit.*

Cæſar Heiſterb. lib. 7. ill. mirac. c. 15

CAPVT XXXV.

Sittardiæ Iuliæ opido, puellæ vitiatus & occluſus oculus apertus, & illuſtratus.

I. MIRACVLVM hoc, quibus ad me verbis perſcripſit R. D. Paſtor Sittardienſis, refero. *Anno Domini ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſeptimo, ante feſtum Paſchæ, contigit puellam quamdam Ioannam dictam, filiam M. Ioannis Ganderheydeni, ciuis oppidi Sittardienſis, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri ibidem Succentoris & Organiſtæ, nec non Apoſtolicâ & Cæſariâ auctoritate Notarij publici, atque etiam Concilij Suſterenſis Secretarij, tali vnius oculi corripi vitio, vt is totus videretur deperditus; atque ita occluſus, vitio accreſcente, maneret, vt (nequidquam adhibitâ arte medicâ) de eius viſu vel ſanitate reſtituendâ deſperaretur: vti palàm & paſſim in oppido Sittardienſi quo-*

Anno ∞. IↃC. VII.

que

que innotuit. Quando verò medicâ vel naturali arte nihil effectum iri videbatur: mater dicta puella votum fecit, filiam ducendi ad Chorum & Imaginem SS. Deiparæ, in Eccleſiâ S. Franciſci Traiecti ad Moſam. quod vbi fecit ipſo feſto Viſitationis eiuſdem anni, ſtatim ſenſit oculi apertionem & reſtitutionem; ita vt pannos, quibus antè obuolutus erat, ibidem reliquerit: & peregrinationem intra octauam Aſſumptionis, & poſteà tertiò in feſto Natiuitatis cum Matre repetens, deinceps ſenſit & retinuit (laus Deo Virginíque Matri) oculum integrum, clarum, & ſanum in hodiernum vſque diem. Hæc mihi infrà ſubſcripto Paſtori Sittardienſi diligenter examinata puella ipſamet faſſa eſt: cuius defectum quoque antè, ſicuti & iam reſtitutionem oculi, ipſemet quoque meis oculis contemplatus ſum: & vterque parens ita ſeſe rem habere, interrogati & examinati à me diligenter & ſpecialiter, coram vocatis & adhibitis teſtibus fide dignis Domino Simone Colonienſi, & M. Ioanne Crieckelman, & faſſi ſunt, & conſtanter affirmarunt; parati etiam, ſi opus foret, iuramento idipſum confirmare. Acta ſunt hæc in ædibus meis Paſtoralibus, decimâ octauâ die Iulij, anno incarnationis Dominicæ ſupra milleſimum ſexcenteſimo octauo.

Ita teſtor ego Franciſcus Agricola Paſtor Eccleſiæ Sittardienſis, & Concilij Suſterenſis Decanus.

Ita

Ita vera fateor ego Ioannes Ganderheidenus, qui ſuprà: hac manus propriæ ſubſcriptione.

I. *Ganderheid. Notar. in fidem.*

Ego Simon Colonienſis Collegiatæ Eccleſiæ Sacellanus hæc omnia ita eſſe atteſtor.

Et ego Ioannes Crieckelman omnia vera fateor ex relatu parentum.

CAPVT XXXVI.

Tungris ſolidati pueri hernioſi.

An. ∞.Iↄ.LXXXIII. I. DVO ſequentia miracula Notarij Tungrenſis verbis commemoro. *Vniuerſis & ſingulis præſentes viſuris, ſeu legi audituris, notum ſit: Quòd ego infraſcriptus, ad petitionem cuiuſdam honorabilis viri, hoc ipſum à me requirentis, præſentium tenore certifico: quòd in anno 1583. aut circiter, filius meus natu maior Ioannes, iacens in cunabulis grauiter ruptus circa verenda, per matrem ſuam ſit delatus Traiectum Moſæ, ad proceſſionem per Fratres Minoritas fieri ſolitam alterâ die Paſchatis. Hæc prolem, magno pietatis affectu, in vlnis ligatam gerens, ſecuta Diuæ Virginis Mariæ imaginem fuit in proceſſione. Eccleſiam Minoritarum ingreſſa, precibus deuotè effuſis confiſa, ligamen ſoluit ibidémque reliquit: & ab illâ*

ab illá horâ ſanatus permanſit puer in hunc vſque diem: qui Ioannes numquam ab iſtâ horâ intermiſit (hoc anno tamen non ſine graui causâ prætermiſſo) quin ſingulis annis ſe in eâdem proceſſione pedibus ac capite nudis, vnicâ veſte lineâ indutus, præſentarit, in gratiarum actionem Deum laudando, & beatam Virginem ipſius Matrem inuocãdo. Id quod certifico manu meâ propriâ in teſtimonium præmiſſorum ſubſcriptâ hac 28. *Maij*, 1607.

Henricus Vlieck Tungrenſis
publicus Notarius.

2. *Anno à Natiuitate Domini* 1607. *menſis Maij die* 27. *in præſentiâ honorabilis viri D. Laurentij ab Aertsbergen, Subplebani in oppido Tungrenſi, & Cornelij Veruers teſtium, comparuit perſonaliter Maria vxor Laurentij de VVederen oppidani Tungrenſis: ſponte & non inducta confeſſa fuit ingenuè, quòd abhinc decem annis, nempe in anno* 1597. *pietatis cauſâ, & ex merâ deuotione, habens filium Ioannem nomine, tunc temporis rupturam patientem iuxta verenda, eumdem ſpe recuperandæ ſanitatis duxit ad proceſſionem, alterâ Paſchatis die apud Minoritas Traiecti fieri ſolitam; ibidemq́; Diuæ Virginis Mariæ imaginem in proceſſione ſequebatur circumeundo, cum magnâ fiduciâ Deum pro gratiâ & miſericordiâ, beatam Virginem pro interceſſione apud* An. æ.10. XCVII.

ſuum

ſuum Filiū implorauit inceſſanter. Et templum eſt ingreſſa, cùm filij maiori quàm antè infirmitate laborantis collapſa ſunt inteſtina; quæ reintruſit, & ligamen quo ruptura ligata fuit, ſoluit, & ante Imaginem Diuæ Virginis ibidem reliquit. De quo miraculo laudauit Deum in excelſis, eiuſdemq; Matrem ſemper Virginem beatiſsimam pro beneficio prætactæ gratiæ: declarans ab illo die filium ſuum prænominatum, ab huiuſmodi rupturâ conualuiſſe, ſanatum & incolumen extitiſſe, vſque in hanc horam. Benedictus Dominus Deus in excelſis. Aßiſtens & aſtans huic mulieri Thomas Lanſmans oppidanus Tungrēſis affirmauit præmiſſa (eò quòd viderit & præſens fuerit eâdem horâ) vera & notoria eſſe & manifeſta. Acta fuerunt hæc Tungris anno, menſe, & die præſcriptis, præſentibus teſtibus ſuprà nominatis;

& me Henrico Vlieck, publico Notario ad præmiſſa vocato ſpecialiter, & requiſito.

Herendaliæ item ſanatus ramicoſus.

3. Ioannes Cuyperius, ciuis Herendalenſis, iureiurando adfirmauit, quando puer cohabitabat parentibus, in pago S. Martini Voirę, vbi & natus eſt, non procul à Traiecto, tantâ ſe herniâ fatigatum, vt tumor erumpentium viſcerum anſeris ouo exæquaretur. Triſtes parentes pro incolumitate pueri votum conceperunt, poſtridie Paſchæ ad *Diuam Virginem*

ginem Traiectenſem, vnà cum filio Ioanne, voti pietatiſque gratiâ triennio peregrinari. Illi cùm expleſſent quod promiſerant, Ioannes Cuyperius prorſus ſanatus, de cetero nihil ſenſit ramicoſi, Deum laudans, Diuæ Virginis laudes concelebrans. Miraculum, Senatorum opidi Herendalenſis ſignis confirmatum, ac Notarij publici manu exſignatum, cuiuis oſtendere in promptu eſt.

4. *Dic vbi ſunt, Natura, tuæ poſt talia leges?* Sedul. 1. Carm. paſ. circa med.

. . . .

Nempe Creatori (cuius, quæcumque videntur,
Seu quæcumq; latent, & rerum machina ſerua eſt)
Omne ſuũ famulatur opus, ſequiturq́; iubentis
Imperium, quocumque trahit ſententia nutu.

5. Fatendum eſt, *Deum eſſe qui faciat mirabilia*, & cùm vult, *ſolus*: omnipotens eſt, noſtri bonorumque noſtrorum minimè egens. Ps. 76. 15. & 71. 18. Verumtamen, quia ipſe edixit; *Qui honorificauerit me, glorificabo eum*: in gloriam amicorum ſuorum, & verò maximè per glorioſiſſimam Dei Genitricem Mariam hæc talia patrat, cultui ipſius aſſerendo. Quid vetat credere? quid iuuat proteruiter & imperitè negare? An etiam, quia non credunt iſti, res ita ſe non habet? *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit?* Sanè, dies Domini, ſeriùs licet, declarabit incredulis. 1. Reg. 2. 30. Rom. 3. 3.

CAPVT XXXVII.

Plurima miracula facta, non ſcripta, cum laude D. Virginis, Matris miſericordiæ.

1. OPINIONE plura maioraque ad imaginem Diuæ noſtræ miracula facta narrantur: ſed aſſcribere nolui, niſi certa, ſuperſtitum teſtimoniis & iuramentis. Nam plura quàm ſcripſimus eueniſſe, multa illa D. Virgini ſuſpenſa, fulcra, ligulæ, faſciæ, imagines, rei & memoriæ conſecrata, *teſtantur, quæ votorum rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum ſimulachra ſuſpendunt ... Gratiſſimè namque accipit eorum Dominus qualiacumque ſunt dona: nec exigua nec vilia dedignatur: quippe qui ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur morborum expulſionem, cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, à ſanitatem conſecutis allata.*

Theod. lib. 8. De Græc. aff.

2. Ita eſt, opinione plura ſunt patrata: ſed, vt ætas incurioſa fuit, fortean & ingrata, multa memoriam fugerunt; eò maximè, quòd plurimi in eo ſint errore, ſilentio potiùs ſupprimenda, quàm vulganda. At nos contrà docet S. Angelus Raphaël, cùm ad Tobiam inquit; *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt:*

Tob. 12. 7.

operæ

opera autem Dei reuelare honorificum eſt. Quiſquis igitur obliuia iſta & omiſſa conquiſierit & ſuggeſſerit; non modò nobis, ſed & ipſi Deo & Diuæ Virgini rem gratam præſtabit, immortali præmio compenſandam. Et ex animo rogo, vt pij quique inquirant, indicent, & manum addant.

3. *Sileat miſericordiam tuam, Virgo beata, ſi quis eſt, qui inuocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. Nos quidem ſeruuli tui ceteris in virtutibus congaudemus tibi: ſed in hac potiùs nobis ipſis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: ſed miſericordia miſeris ſapit dulciùs; miſericordiam amplectimur chariùs, recordamur ſæpiùs, crebriùs inuocamus. Hæc eſt enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetrauit. Conſtat enim pro vniuerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt; Ne timeas Maria: inueniſti gratiam, vtique quam quærebas. Quis ergo miſericordiæ tuæ, ô benedicta, longitudinem & latitudinem, ſublimitatem & profundum queat inueſtigare? Nam longitudo eius vſque in diem nouiſſimum, inuocantibus eam ſubuenit vniuerſis. Latitudo eius replet orbem terrarum: vt tua quoque miſericordia plena ſit omnis terra. Sic & ſublimitas eius, ciuitatis ſupernæ inuenit reſtaurationem: & profundum eius ſedentibus in tenebris & in vmbrâ mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletur, infernus* Ber. Ser. 4. de Aſſum. B. Mariæ.

euacuatus eſt, inſtaurata ruina cæleſtis Hieruſalem, exſpectantibus miſeris vita perdita data eſt.

CAPVT XXXIIX.

Aduerſus impios & calumniatores.

1 QVAMOBREM & nos, ô Diua, tui clienculi, *ad te clamamus: recordare noſtri ſanctiſſima Virgo, quæ etiam à partu virgo permanſiſti: & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu, quæ gratiâ plena es.*

Athan. in Euang. de Sanctiſſ. Deiparâ.

2. Rideant nunc, iam tunc irridendi impij & imperiti; læti labantur in Orcum, vt qui Sardois herbis expleti, cachinnantes intereunt: nobis ſtat hæc ſententia; *Deiparam Virginem* mortalibus datam vitæ matrem, aduerſus Euam culpæ parentem. Hæc *ſoluit, quod illa ligauerat: vt prolem quam per inobedientiam ſui morte damnauit, hæc per obedientiam reſtituat vita.*

Auguſt. de Symb. ad Catech. c. 1. tom. 9.

. . . . *Vt vnde
Culpa dedit mortē, pietas daret inde ſalutem.
Et velut è ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil quod lædat habens, matremq́; obſcurat honore:
Sic Eua de ſtirpe ſacrâ veniente Mariâ,
Virginis antiquæ facinus noua virgo piaret.*

*Sedul. lib. 1. Car. Paſchal.

Vt

Vt quoniam natura prior vitiata iacebat
Sub ditione necis: Chriſto naſcente renaſci
Poſſet homo, & veteris maculam deponere carnis.

3. *O ter Sacroſancta Virgo! (de quâ qui omnia illuſtria & glorioſa dixerit, numquam is quidem à veritatis ſcopo aberrauerit: attamen dignitatis magnitudinem nullâ vmquam oratione exæquabit.) aſpice nos de cælo oculo propitio. Et nunc quidem educ nos hinc cum pace: ad Iudicis autem thronum à confuſione liberos nos ſiſte; ac ſtationis tandem ad dexteram participes nos effice: vt inde ad cælum abrepti, vnà cum Angelis increatam homouſiamq́ Trinitatem laudemus, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto cognoſcitur & glorificatur, nunc & ſemper, & in ſæcula.* Baſil. Seleuc. Archiepiſc. Orat. de Verbi incarnat.

CAPVT XXXIX.

Scriptio hæc D. Virgini conſecrata, cum illius inuocatione pro ſalutari morte.

1. CETERVM præpotens Deus (ingenuè fatemur) ſine Virgine matre, orbem ſaluare, gratiam potuit infundere: ſed tamen illi viſum, tale nobis ad ſe vehiculum prouidere. Quamobrem quidquid hoc eſt operis, Diuæ Virginis puriſſimis manibus voueo & commendo; * *vt eodem alueo ad largitorem gratiæ* *Ber. Ser. De Natiu. B. Mariæ.

 gratia

gratia redeat, quo influxit. Confido, licet non omnibus numeris abſolutum, non repellet tamen *quidquid illud ſit, quod inter Mariæ manus inuenerit.*

Trag. Chriſt. patiens.

2. *. . . At tu, quod precor ſummum, id mihi*
Concede, vitâ ſic vt excedam, illius
Vt tantùm habens te præſidem ſemper, velut
Ingentem opum vim; te, tuum erga Filium
Mihi patronam ſentiam acceptiſſimam.
Ne me ergo tradi tu ſinas tamquam ad crucē,
Ludibrioq́; illius exponi, omnium
Iuratus hoſtis qui ſit, & mortalium
Peſtis: tuere me, atque ab æterno aſſere
Igne & tenebris, per fidem qua iuſtior
Sum factus, & per gratiam tuam inclytam,
Quâ nuſpiam vlla notior nobis fuit.
Hoc propter, ecce, texo nunc tibi, memor,
Gratumq́; carmen. O puella, gratiâ
Aequanda nullis; Mater, & Virgo ſupra
Omnes decora virgines; & maxima:
Quæ vincis omnes ſola cælitum ordines;
Regina, Domina, generis humani bonum:
Amica ſemper eſto tu mortalibus;
Maximaq́; quouis in loco mihi ſalus.

CAPVT XL.

Concluſio cum precibus ad noſtram Diuam.

1. PEREGI quod de Diuâ Moſæ-Traiectenſi in animo erat. Sed quia nemo culpæ

culpæ omnino liber eſt, aut notæ; nec vllus tam timidus offenſarum, quin aliquando in eas incidat, cùm maximè vitat: en, offero ſpongiam, optimam aberrantis ſtili medicinam. Quiſquis legis emenda, & corrige medicâ manu; vt proſis, non noceas; quod boni ingenium eſt. Si quis contempſerit: quid refert? Apud nos, non qui patitur, ſed qui facit iniuriâ, miſer eſt. Faue, beniuole Lector: & voueo; Diua Virgo nos cælitus reſpiciens, me ſcribentem cuſtodiat, te legentem. quam extremùm alloquor & precor publicis verbis;

2. *Quibus laudibus celebrabo Virginem, per quam hæc acta ſunt? per quam lapſus facta eſt reparatio? quis honor exhiberi poterit puritati eius ex æquo reſpondens; cuius amore captus opifex, ex eâ ſuum conſtruxit tabernaculum, in quo minimè recuſauit habitare, in quo paterna voluntas eſt impleta? Quænam gloria ei poterit tribui pro meritis? cui ſuperiorem gloriam præter ſe Creator oſtendet? O donum, quod nullo poteſt honore, vt par eſt, affici! O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! O Dei Genitrix pulchrorum omnium ſummum ornamentum! Tu caſum veteris noſtræ nobilitatis erexiſti partu tuo, qui eſt ſuper rationem. Tu primæ imaginis obſcuratam ſpeciem reſtituiſti in ſuam pulchritudinem. Tu primæ parentis dolores in pariendo ſuſceptos, tuo partu in gaudium conuertiſti. Per te paradiſum purè ſumus conſecuti.*

Georg. Archiep. Nicomed. Orat. de præſentat. B. Mariæ. to. 6. Sur. die 21. Nouemb.

N 4 *Per*

Per te generis noſtri colonia ad propriam rediit manſionem. Per te receſſit romphæa verſatilis. Per te, quæ erant clauſæ, delitiarum portæ fuerunt apertæ. Per te ſpes Prophetarum ad effectum ſuum ſunt deductæ: in te finem acceperunt, quæ ab eis dicta ſunt. Per te noſtræ reſurrectionis certa ſigna tenemus. Per te nos regna cælorum ſperamus aſſecuturos. Te noſtræ ſalutis habemus adiutorem. Te noſtri auxilÿ habemus defenſorē. Te proponimus, cuius ore noſtra dicatur excuſatio. Te noſtræ fiduciæ circumferimus gloriationem. Te Christianorum multitudo murum habemus firmiſſimum. Te fideles reges arma habent valida: per te bellorum frangunt audaces impetus: per te conſequuntur trophæa victoriæ.

3. *Tu, ô Dei Genitrix, ne deſpicias preces eorum, qui ſemper petunt. Præbe manum laborantibus, opem fer eis, qui agitantur tempeſtatibus. ſeda bellorum fluctus: fac in auras euaneſcant ſpiritus eorum, qui inceſſunt iniuriis. Da petitioni conuenientem (potes enim) euentum. Habes vt mater in filium, quæ recuſari non poteſt, fiduciam. Habes vires inſuperabiles, robur inexpugnabile. Ne immenſam tuam clementiam ſuperet multitudo peccatorum. Ne abſurda retardent tuam, quæ verbis exprimi non poteſt, miſericordiam. Nam quæcumque fuerit multitudo eorum quæ ignorantur, ea facilem accipit ſolutionem, ſi tu ſolùm volueris. Nihil tuæ reſiſtit*

potentiæ,

potentiæ, nihil repugnat tuis viribus: omnia cedunt tuo iuſſui, omnia obediunt tuo imperio, omnia tuæ poteſtati ſeruiunt. Te omnibus ſuis operibus reddidit excelſiorem, qui eſt ex te natus: & per ea, quæ in te facit admirabiliter & præter opinionem, ita eſſe confirmauit; ea potes cõſequi citra laborem. De iis abſque vllo interceſſore compella Creatorem. Delectatur petitione, gaudet ſe rogari: non reſiſtit, quo minùs impleantur. TVAM *enim gloriam exiſtimat eſſe propriam: & tamquam filius eâ exſultans, quaſi exſoluens debitum, implet petitiones.* Nota, nota

4. *Itaque ego quoque, ô Domina, fretus tuâ, quæ exprimi non poteſt, potentiâ & benignitate, ex egenis labris fructum tibi obtuli: indignum quidem qui offeratur; ſed optimam meam indicat voluntatem. Neque enim meæ ſolùm vires non aſſequuntur quod deſiderant: ſed magnorum etiam virorum exſpectationibus idipſum accidit, vt id non aſſequantur. Accipe ergo non attendens opera, ſed admitte promptum animi ſtudium. Accipies autem ſat ſcio, vt quæ ſis amans bonorum, reddens pretium pro peccatis, & regno cælorum dignans, propitiumq́; reddens Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, vnam Diuinitatem & regnum, ineffabilem potentiam & dominationem: quam decet gloria, honor, & adoratio, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.*

FINIS.

IN-

INDEX CAPITVM.

AFfectus noſter aduerſus Deiparam Virginem, cum illius inuocatione, verbis ſanctorum Patrum. Cap.I. pag.I.

Origines vrbis & pontis Traiectenſis. Cap.II. 4.

De ſancto Materno, & ſancto Seruatio, Tungrorum Epiſcopis. Cap.III. 13.

De cœnobio Fratrum Minorum, & in eo Diuæ Virginis imagine. Cap.IV. 20.

Quomodo D. Virginis imago præſeruata fuerit à ſacrilegiis iconoclaſtarum. Cap.V. 24.

Diuæ Virginis Diuorumque imagines, Apoſtolorum æuo factas, piis in vſu ſemper & honore fuiſſe. Cap.VI. 27.

De ſacrarum imaginum vſu ſalutari, ex Synodo Nicenâ ſecundâ. Cap.VII. 32.

De ſaluberrimis fructibus ab imaginibus ſacris, ex eâdem Synodo. Cap.VIII. 34.

De cultu approbato, & veneratione ſacrarum imaginum, ex eâdem Synodo Nicenâ. Cap.IX. 39.

Quâ ratione Diuorum imaginibus dentur ſuffimenta, lumina accendantur, ex eâdem Synodo. Cap.X. 43.

Virgo mater Maria Chriſto primum exhibendi miraculum auctrix fuit: ipſa dum vixit nulla, ſed ab exceſſu plurima edidit. Cap.XI. 47.

Nonnulla miracula ſuperioris æui, à Diuę Virginis imaginibus. Puniti iniurioſi & impij. Cap.XII. 52.

De Supplicationibus Eccleſiaſticis, quæ ex cærimoniis veteris Legis celebrantur. Cap.XIII. 66.

Supplicationum Eccleſiaſticarum origines demonſtrantur etiam ex nouo Teſtamento, & varia ſchemata. Cap.XIV. 73.

Crucis

Crucis vexilla ritu priſco, ritu noſtro, fructuosè in Supplicationibus præferri, adhibitis luminaribus. Cap.xv. 81.

Nudipedalia in Proceſſionibus piè ac laudabiliter peragi; ciliciis, lineis ſolis, ſiue laneis amiculis amiciri. Cap.xvi. 91.

Cathenas, loricas, arma ferrea ad pœnitentiam corporibus affligendis ritè applicari. Cap.xvii. 100.

Imagines Deiparæ Virginis in Supplicationibus vtiliter & fructuosè circumferri. Cap.xviii. 106.

Theophoriam Venerabilis Sacramēti in Supplicationibus inſtinctu diuino adhiberi. Cap. xix. 112.

De ſodalitio Chordigerorum ſancti Franciſci. Cap. xx. 132.

Celeberrima Proceſſionis conuentus Fratrum Minorum Moſæ-Traiectēſis deſcriptio. Cap. xxi. 145.

Quando cœperint à Diuâ Traiectenſi miracula coruſcare. Cap. xxii. 153.

In miracula Diuæ Virginis ſeriò inquiſitum: diligenter ea in publico cōſeſſu examinata: quorum vnum atque alterum anno ſalutis Chriſtianæ ∞.IↃC.VIII. patratum, enarratur. Cap.xxiii. 165.

Immerſus dolio ab aquis & morte ſeruatus. Cap, xxiv. 159.

Plurimis vulneribus letalibus ſaucius mirificè curatus. Cap.xxv. 160.

Cæca puella viſum recepit. Cap.xxvi. 166.

Gibberus regibberus puer, & claudus, complanatus, reſtitutus. Cap. xxvii. 167.

Claudi in greſſum erecti. Cap, xxviii. 169.

Muti, morbidi, facti vocales, & ſanati. Cap.xxix. 172.

Paralytici reſtricti. Cap.xxx. 175.

Her-

Hernioſi reparati. Cap. xxxi. 178.
Variis adfecti morbis, mirificè curati. Cap. xxxii. 179.
Atteſtatio Senatus Moſæ-Traiectenſis ſuper fide prædictorum miraculorum. Cap. xxxiii. 184.
Leodici matrona laborans incurabili morbo ſupra biennium, ex voto reualuit. Cap. xxxiv. 186.
Sittardiæ Iuliæ opido, puellæ vitiatus & occluſus oculus apertus & illuſtratus. Cap. xxxv. 188.
Tungris ſolidati pueri hernioſi. Cap. xxxvi. 190.
Plurima miracula facta, non ſcripta, cum laude D. Virginis Matris miſericordiæ. Cap. xxxvii. 194.
Aduerſus impios & calumniatores. Cap. xxxiix. 196.
Scriptio hæc Diuæ Virgini conſecrata, cum illius inuocatione pro ſalutari morte. Cap. xxxix. 197.
Concluſio cum precibus ad noſtram Diuam. Cap. xl. 198.

Corrigenda ante lectionem.

Pag. 45. *verſu* 2. ſinceram. *adde in marg.* Fors. leg. ſinceritatem, vel addendum caritatem.
pag. 54. *ver.* 22. Inzozopoli. *leg.* In Zozopoli
pag. 65. *ver.* 22. *adde in marg.* A. ∞. ɔↄc. IIII.
pag. 118. *ver. vlt.* reuelatus. *leg.* releuatus.
pag. 131. *ver.* 4. ex. *lege*, &
pag. 146. *ver.* 7. ſeptimo. *lege*, octauo.

APPRO-

APPROBATIO.

LIBER *iſte eruditione & pietate refertus, cui titulus*, Diua Virgo Motæ-Traiectenſis, *à Reuerendo admodum nec non & Religioſo viro ac Patre fratre Henrico Sedulio, Minorum Fratrum Almæ inferioris Germaniæ prouinciæ Prouinciali Miniſtro, concinnatus & editus, nihil continet fidei noſtræ Catholicæ aduerſum vel diſſonum, neque ſacris Conciliis, doctrinaue ſanctorum Patrum: quin potiùs ipſorum ſententiis paſſim abundat, eorumq; inhærendo veſtigiis, Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ Romanæ ritus varios, quos ab initio obſeruauit, doctè exponit: Sacrarum imaginum cultum tuetur; & ad Virginis intemeratæ honorem & deuotionem mentes piorum dulciter & ſuauiter allicit, fidemque noſtram (hæreticorum perfidiam ſimul contundens) doctrina & miraculis extollit & firmat. Quapropter illum meritò digniſſimum iudico vt typis mandetur, & bonis auſpiciis veniat in lucem, ad Dei omnipotentis potiſſimùm gloriam, eiuſq; deinde glorioſiſſimæ Matris Mariæ, omniumque Sanctorum, atque ad fidelium & Catholicorum conſolationem & illuminationẽ. In quorum fidẽ has dedi, & ſubſignaui Bruxellæ*, IX. *Octobris*, M. DC. VIII.

F. Andreas à Soto, Sereniſſ. Infantis à Confeſſionibus.

TRACTATVM *hunc de Diuâ Virgine Moſæ-Traiectenſi, auctore R. P. Henrico Sedulio, Ordinis Fratrum Minorum de Obſeruantiâ inferioris Germaniæ Miniſtro Prouinciali, à me diligenter perlectum, ob variam ac ſolidam quam continet inſtructionem, dignum cenſui, qui typis excuſus, omnium manibus teratur.* XIX. *Auguſti*, M. DC. VIII.

Petrus vanden Wiele S. T. L. Archidiaconus Mechlinienſis, & lib. Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ,Brabantiæ,&c. Serenſſimorum Belgicæ Principú, Priuilegio cautum eſt: nequis R.P.F.Henrici Sedulij de DIVA VIRGINE MOSÆ-TRAIECTENSI librum, præter voluntatem Ioannis Moreti, typographi Antuerpienſis, intra ſexennium excudat, aut alibi excuſum in inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXII. Auguſti, M. DC. VIII.

Signat.

de Berti.


CONSTANTIA
LABORE

BIBLIOTECA